





17  
1723,3. N°  
*DISSE*  
*TVENDO*  
*AEQVILIBRIO*  
*EVROPAE,*

*QVAM*  
*SVB*

*PRAESIDIO*  
*IO. FRIDERICI KAYSERI,*  
*I. V. D. ET P. P. ORDIN.*

*IN*  
*ALMA LVDOVICIANA*  
*PUBLICO OPPONENTIVM EXAMINI*  
*SVBMITTIT*  
*EBERH. GEORG. VVITTICH,*  
*A. ET R.*  
*AD DIEM*  
*SEPTEMBR. 15. 1723.*



RENTIERED  
UNIVERS.  
ZU HALLE

GIESSAE, LITTERIS IOANNIS MÜLLERI.



SERENISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO,  
DOMINO  
ERNESTO  
LVDOVICO,  
HASSIAE LANDGRAVIO,  
PRINCIPI HERSFELDIAE,  
COMITI IN CATIMELIBOCO,  
DECIA, ZIGENHAINA, NIDDA,  
SCHAUMBVRGO, YSENBVR.  
GO ET BVDINGA,  
RELIQVA.

PATRIAE PATRI.  
CONSERVATORI CIVIVM.  
PERPETVAM FELICITATEM!

SERENISSIME PRINCEPS,  
DOMINE CLEMENTISSIME.

DOMINO  
OT  
ERIN  
LADOC

**G**Elissimo NVMINI TVO  
exiguas hasce chartarum pla-  
gulas submissa animi venera-  
tione offerre, nulla mea arrogantia, nec  
populari ambitione, sed sola materiae,  
de qua heic disceptatur, dignitate per-  
moueor. Etenim, vt Serenissimos Im-  
perii Principes tota ista dissertatiuncula  
mea concernit: ita ipsa quoque tracta-

PERPETVAM FELICITATEM!

tio

tio eius, non argumentorum vi & efficacia,  
non elegantia dictionis, quam nullam in me reperio, non alia re, quam  
solo iudicio TVO, acri & vere diuino,  
**SERENISSIME PRINCEPS**, publi-  
cam approbationem merebitur. Ac-  
cedit pietas mea, qua, si tot clementiae,  
tot gratiae Principalis, parenti, auo, &  
proauo meo iam inde a prima aetate  
exhibita documenta recolo, interno  
quodam animi officio, & vinculo con-  
stringi videor, ut indulgentissimo PA-  
TRIAE PATRI has meas primitias  
Academicas, exiguae quamuis, cultu  
tamen quo decet, hoc est demississimo,  
offerrem. Accipe igitur, **SERENIS-  
SIME**

BRUNNEN GEORG VALDTHOR

SIME PRINCEPS, hoc primum pie-  
tatis specimen, &, vt soles, clementer  
fuscipe. TE vero fospitet supremi  
benignitas Numinis, & SERENITA-  
TEM TVAM, vna cum Serenissimo  
Principe hereditario LVDOVICO,  
Paternarum virtutum aemulo, & Iuuen-  
tutis Principibus Nepotibus, in spem  
patriae natis, totaque Hassiaca Domo,  
quam diutissime conseruet.

## SERENITATIS TVAE

humillimus serius

EBERH. GEORG. VVITTICH.



DISSERTATIO  
IVRIS GENTIVM ET PVBLCI  
DE  
TVENDO AEQVILIBRIO  
EVROPAE.

§. I.



Deo sane rebuspublicis, & qui iis praesunt Aemulatio  
& domi-  
nandi libido  
Principibus, stimulante imprimis civilis nandi libido  
civitatis pro-  
presa

imperii maiestate, dominandi libido pro-  
pria & propemodum naturalis est, ut &

ipsa imperiosa rerumpublicarum consti-

tutio, non aliunde, quam ab hac domi-

nandi libidine, originem suam traxisse,

plerisque fere Doctoribus persuasum sit. Probat id vt-  
rius, adducta illa imperii administrandi, & pomposa aula-  
rum regendarum ratio; tum aemulationes perpetuae in-  
ter Gentes, & bella, colore saepe tincta ac specioso munita  
praetextu, sed raro ob aliam gesta causam, quam aemula-  
tionem & libidinem dominandi. Vnde de Lacedaemoniis  
memoriae proditum est, eos inter se quidem exacta virtute  
& iustitia fuisse vsos, sed aduersus alios nullum ius agno-  
uisse.

A 2

uisse, nisi quo Sparta maior & potentior redderetur. Et de Atheniensibus scribit Thucydides L. i. eos libere professos, non se aliam actorum suorum defensionem querere, quam quod sciant, semper moris fuisse, inferiorem a superiore premi, seu id naturale ciuitatibus esse, potentiores velle dominari impotentioribus: quia omnia fere Principes ad famam dirigunt, &, ut SALLVSTIVS loquitur, *maximam gloriam in maximo imperio putant.*

## §. II.

Hinc orta  
Monarchiae  
vniuersalis  
affectatio.

Hinc orta ambitionis illa & vere portentosa Monarchiae vniuersalis affectatio, cuius condendae consilium, multos olim Reges iniisse, vetus & recentior historia testis est. Dubium, an magis stolidae quam imperiose. Etenim tam varia sibi prorsus contraria conditio Gentium, institutis, lingua, moribus diuersarum, quas vltius interiecta maria, montes, flumina, separatas esse voluerunt, conceptae huius Monarchiae vniuersalis tum vanitatem, tum & impossibilitatem satis aperte profitentur. Nam vt de aliis eius impedimentis nunc nihil dicam, de quibus *vid.* FORSTNERVS ad Tac. L. 4. Ann. HENRICVS de COCCEII in Auton. Iuris Gent. c. 9. §. 7. aliquie, sane sola linguac diuersitas Gentium, eam confodere & funditus euentre mihi videtur. Sicut enim linguae vnitas firmissimum est societatis humanae vinculum, & ad tuendam concordiam vtile, magnumque in primis ad dominatum acquirendum & conseruandum instrumentum, quod in hac ipsa vniuersalis dominationis, tam Civilis quam Ecclesiasticae, materia, per exempla obseruant prudentiae Magistri: Ita certe tam diuersae, ipsisque linguarum idiotismis distinctae nationes, simul, vno imperio civili diu valide contineri haut possunt. Vnde sapientissimus diuersarum Gentium Conditor DEVS, Chamitarum, quondam imperium orbis affe-

affectionatum, conatus, non alia re, quam sola confusione linguarum, quam efficacissime elutit. Nouerant quippe Chami posteri, se vi maledictionis diuinæ seruos olim esse futuros. Quapropter, ut dominatum inter se conseruant, urbem, & in ea turrim munitissimam exstruere coeperrunt, prædicti hactenus instituto, quo vel multitudinem eo opere occuparent, ne res nouas molirentur, vel sibi perpetuus ad hanc arcem esset receptus, ex qua deinde potentiam suam late possent explicare. Sed nouit & DEVS conatus illos, se inuitu suscepitos, distracto fundamento, confodere, non alio medio, quam immissa confusione lin-  
guarum.

## §. III.

Tametsi vero, ut videmus, huiusmodi ambitiosa mo- Hinc pax  
naturalis  
infida & in-  
constans.  
limina non facile possint ad exitum perduci: tamen ex tam venenata scaturigine, ex ista tam infasta dominandi libidine, alia & fere infinita oriuntur incommoda, & illud maxime inde proficitur, quod pax naturalis adeo inconsrens & infida reddatur, statusque Gentium fere semper sit bellicosus, qualem ex vero nuper descripsit Ill. GVND-  
LINGIVS in *Dissert. de statu naturali Hobiano*. Numquid An igitur  
nullum remedium supereft, quo pax naturalis, adeo exoptatum omnibus bonum, sine cruento christiano con-  
seruari possit? varia a variis, iam inde ab antiquis temporibus, excogitata & commendata fuerunt, quorum tamen nonnulla ipso malo deteriora videntur: alia incerta & in-  
confulta: alia iniusta & inhumana: pauca denique licita & in rem accommodata censentur.

## §. IV.

Et primo quidem non attinet multa verba facere de portento illo Henrici M. Galliae Regis conatu, in quo Exhibetur  
institutum  
Henrici M.  
Galliae Re- perficiendo nec labore pepercit, nec sumtibus, ut Europam DFG

omnem, qua Christi nomen profiteretur, in XV. aquabiles  
 status, quinque scil. regna successiva, sex electiva, & quatuor  
 respublicas diuiderebantur, quibus ipse, seu Dux quidam Am-  
 phyctionicus, & vniuersalis Christianorum omnium Pro-  
 tector praesideret. vid. *Memoires du Duc de Sully T. 2. p. 413.*  
*seq. T. 6. p. 280.* PEREFIX. vit. *Henrici M. & L'Amour du*  
*Grand Seigneur p. 2. lettre 44.* Institutum autem tale fuit:  
 Constituendas scil. esse quindecim ciuitates fere aequales,  
 Pontificiam scilicet, Germaniam, Galliam, Hispaniam, An-  
 gliam, Hungariam, Bohiemiam, Polonię, Sueciam, Daniam,  
 Sabaudiam, Venetiam, Italiam, Belgicam, Helueticam: Et  
 ita quidem has esse temperandas censuit, ut Pontificiae  
 ditioni Apulia; Sabaudo Mediolanum; Heluetis Burgun-  
 dia, Tyroliu, Alsatię & Tridentum; Belgicę Iuliacum, Cli-  
 uia & Montes; Marca itidem, Rauensberga & Rauenstei-  
 niū accederent; Hungariae Transylvania, Moldauia ac  
 Vallachia; Bohemiae Silesia, Moravia & Lusatia adiicerentur;  
 Poloniae vero pars Turcici Imperii; Venetiis Sicilia  
 cederet; Noua Italorum respubl. ex tractibus Hetruria, Man-  
 tuae, Parmae, Placentiae, Mutinac, Regii, Mirandulac, Mo-  
 noeci, Plumbini, Corregii, Genuae & Luccae conficeretur;  
 Francia, Britannia, Suecia, Dania suis finibus relinqueren-  
 tur; Hispania vero inter Oceanum montesque Pyrenacos  
 terminaretur, addita Sardinia & Ballearibus Insulis. Impe-  
 ratorem, ut Hungaria, Bohemia, Carinthia, Stiria, Croatia,  
 Carniola, Tyroli, ipsaque Austria, & omnibus per Germa-  
 niā & Italiam possessionibus se abdicaret, primum per Leg-  
 gatum totius reipublicae & deinde per nuncium Pontificis  
 amice monendum, post armis cogendum esse. Ad conser-  
 uandam hanc rem publicam Collegia septem constituenda:  
 Summum vnum & generale; reliqua singularia seu parti-  
 cularia: Gedanense primum, in ultimū Suecorum, Dano-  
 rum

45) 7 (5)

rum & Polonorum instituendum; alterum Norimbergense, Germanorum; tertium Vindobonense, Bohemorum, Austriae & Hungarorum; quartum Bononiense, Pontificis & Venetorum; quintum Constantiense, novorum Italicorum, Mantuanorum & Helvetiorum; sextum Gallorum, Britannorum, Hispanorum, Belgarum, sede communibus horum suffragiis definita. Porro in usus belli tres Praefectos destinauerat, duos terrestris militiae; tertium classis. Et exercitum quidem terrestrem bis centum & sexaginta millium peditum; quinquaginta millia equitum esse voluit; tormentorum bellicorum bis centum & septendecim. Classem centum & septendecim nauum maiorum & triremium, exceptis incendiariis & onerariis. Nomen autem reipublicae futurum erat *Christianissima*. Et Henricus ipse eius Protector & defensor futurus.

§. V.

Praetextus tanti moliminis prima specie laudabilis & Quod repro-  
gratus fuisse videretur, ut scil. Austriae, Hispanorum, &  
Turcarum potissimum, eo tempore excrescens potentia,  
hoc modo aequabilis redderetur, & pax Europae, institutis  
iam Gentium iudiciis, tantoque moderatore, sine humano  
sanguine conseruari posset: sed re ipsa non solum iniustum,  
sed nec omnino tutum, quin quo quis naturali malo, ipsa-  
que seruitute deterius remedium. Etenim, ut non valde  
emundata naris aliquem esse oportet, quin subito suboleat,  
totum istud institutum tantum ad diminuendam domus  
Austriacae potentiam excogitatum fuisse: ita eo ipso quo-  
que maximis difficultatibus subiectum esse debuit, quia  
illa inuidenda sibi Austriae potentia non tam facile  
profecto infringi potuit: Tum odiosa illa rerum omnium  
communio remoram quoque apud multos iniicere insti-  
tuto debuit, maxime inter tot tamque diuersas nationes,

im

in vnum ciuile corpus haud facile coeuntes. Accedunt lites, iurgia, quaestiones infinitae de Collegiis seu iudiciis, de tributis, de finibus, belli ducibus, aliisque, circa quae omnia in vnum conspirare tot Gentes haud facile potuisse videntur. Et quis demum ausus fuisset affirmare, impo- sterum aliter & melius cum rebus humanis hoc nouo statu, tantoque moderatore actum iri? Voluit Henricus aliorum potentiam imminuere, vt ipse cresceret, & alios omnes potestate sua preeponderaret. Quis vero ex antiquis vel vnum tantum nominare potuisset nimium potentem Mon- archam, qui olim alii in tanta auctoritate non nocuisset, seque utilitatis suae aura flecti passus non fuisset? Cur ergo aliter & magis benigne de solo Henrico in tam excres- scente eius potentia homines iudicare debuissent? Ita sane non pax queritur, sed praetextus, quo alterius potentiam & dominatum in nos ipsos deriuemus; coque pacis com- munis rationes omni tempore turbantur. Et quo demum iure quaque iustitia Henricus Hispanos v. g. aut Austriacos aliosue aliqua ditionum suarum parte potuisset spoliare, non alia de caussa, quam ad obtainendam istam tam lubri- cam Gentium aquabilitatem? Cur vero solus Henricus tantae societatis directorum sibi sumsit? Cum Gentes ra- tione iuris sibi inuicem sint aequales, & potuisset earum quaelibet tam insignem praerogatiuam eodem iure sibi ap- propriare: est enim praeceptum Iuris Naturalis, vt ne quis in statu naturali plus sibi quam aliis arroget; sed alios aequo secum iure frui patiatur. vid PVFENDORF. d. I. N. & G. L. III. c. 2. §. 4. Aut si dignitatis & ordinis tantum, non potestatis aut iuris praerogatiuam Henricus in hoc foedere quaequivit, inefficax sane totum institutum fuisset futurum; cum tali moderatori quilibet impune ob- sequium denegare potuisset. Num vero & socii ipsi, tam

con-

contraria reipubl. forma, tam variis vtentes iuribus, tamque diuersis studiis distracti, diu in hoc foedere fuissent permanfuri? Non credo hercile, eo, quod non par, quae sperabatur, ad vnumquemque foederatorum videretur redundare vtilitas, aut quod vnu in praestationibus ex foedere debit is, p rae reliquis eset remissior, aut ex sexcentis aliis caufis huius generis, quas acumulatio inter Gentes, superbia, regnandi cupiditas & luxus generat quotidie & alit. Quae omnia huius instituti iniquitatem & insufficientiam luculenter probant.

## §. VI.

Henrici institutum, non ita pridem mire perfecit, Institutum  
Abbatis de  
S. Petro. suoque proprio fermento locupletauit ABBAS de SANCTO PETRO, homo, si quisquam alias, in concipiendis publicorum negotiorum formis audacissimus. Edidit is anno huius seculi XVII. tractatum Gallicum, sub titulo: *Projet de Traité, pour rendre la Paix perpetuelle entre les Souverains Chrétiens, pour maintenir toujours le commerce libre, entre les Nations, pour affermir beaucoup davantage les maisons souveraines sur le Trone.* A quo non multum dissimilis est aliis tractatus Anonymi anno XII. huius sec. editus: *Mémoires, pour rendre la Paix perpetuelle en Europe.* Abbat is vero delineationem huc apponere haud abs re esse existimo. Constat nimurum ex mente Abbatis Conuentus eius pacificus XXVII membris, saluo iure addendi Chamum Tartariae, spectantque huc Regnum Galliae; Hispania; M. Britannia; Belgium; Portugallia; Bauaria; Heluetia; Hetruria cum affelis; Genua & Lucca cum quibusdam aliis Italiae Principibus; Papa; Veneti; Sabauidia; Lotharingia; Dania; Electores Ecclesiastici cum quibusdam ciuitatibus Imperii; Palatinus cum nonnullis Principibus; Elector Brunsuigo-Luneburgicus, additis qui-

B bus

busdam Principibus & ciuitatibus; Elector Saxoniae; Elec-  
tor Brandenburgicus; Curlandia; Austria cum Bohemia  
& Hungaria; Polonia; Turcia; Russia; Suecia; Ma-  
rocciae Imperium; & denique Barbaria. Summa autem  
conuentonis Capita haec sunt: 1) Ad pacem in perpe-  
tuum & inconcusse seruandam fiat vnio inter omnes sum-  
mos Europae Imperantes, assuntis in societatem Zario,  
Turca, Barbariaeque dominatoribus. Quem in finem  
congregati illorum Legati, consentiant in has leges atque  
conditiones: Initio regna omnia, omnesque respubl. mo-  
dum, cum imperandi, tum ad imperium perueniendi, ha-  
ctenus semel receptum conseruare, ipsisque imperantibus  
iura sua circa leges condendas, & curam religionis, salua &  
integra manere; pacta conuenta in regnis electiis immu-  
tata persistere; atque haec omnia pro maiori securitate,  
vnionis auctoritate confirmari & corroborari debent. Hoc  
vnico communi summo vnionis concilio, in singulis XXVII  
ciuitatibus reseruato, vt pacis vniuersalis curam vbique ha-  
beat, & ne arma vllibi, nisi ad bellum aduersus eum, qui  
communi Senatus Consulo hostis haberi iussus est, capes-  
santur, aut milites conscribantur, sedulo prouideat. 2)  
Nulli ciuitati aliquid addatur, vel dematur, nec binae sub  
quacunque specie jungantur. Acquaestus vero ad con-  
dendam nouam ciuitatem seponantur. Omnibus mutuis  
petitionibus, immo & titulorum circa non possessa vsui, per  
ipsam vnionis subscriptionem in aeternum renuncietur.  
Paucis: *ut quilibet haec tenus tam in suo, quam in alieno pos-  
sedit, ita in posterum possideat.* 3) Vnio operam det, vt si  
Principes quidam, vel propter aetatis, vel aliam imbecillit-  
atem ipsi rebus suis satis superesse forte non possint, in-  
tegro hoc tempore, illorum personis, iuribus atque facul-  
tatis, tam contra malorum beneficia, & seditiones factio-  
rum,

forum, quam aggressiones hostium, satis bene valideque prospiciatur. Missis, si rumor aut fama increbescens aliquid sinistri auspicari iubeat, mature iudicibus delegatis, qui in prava molimina inquirant, & post inquisitionem, eadem ex debito puniant & coerceant. 4) Caeuant singula membra, ne sine consensu trium tertiarum Assessorum Senatus, inter se in quaedam pacta singularia, arcane & extra communem curiam, conueniant. Alias enim, vti vnio pactis a se confirmatis plenam auctoritatem attribuere non desistet; ita de illis, qui clanculum factiones machinantur, tanquam de publicis hostibus statuet. 5) Commercia exerceantur, vti ante ultimum bellum, si quid aliquibus videatur circa illa innouandum, id non aliter tentetur, quam ex aequo & bono, nec non supremo Senatu, vt in praecedenti capite, suffragante. 6) Arma, nisi contra hostem, quiescant. Quod si quaedam ciuitas aegre sibi fieri credit, rem porrecto supplici Summo Senatui libello, denunciet, atque vel amicam compositionem, vel laudum, secundum pluralitatem votorum decenter expectet. Ceterum in eum, qui mandatis, aut pronunciatis Unionis parere recusat, vel bellum, senatu in consulto suscipit, vel unionem plane acceptare detrectat, vt in hostem professum animaduertatur. In causis autem decidendis Senatores, non ex suo arbitrio, sed prout Domini illorum iubebunt, iudicabunt. 7) Vnio in confiniis tribunalia constitut, quae de litibus, inter diuersorum Principum ciues exortis, modo summa, de qua disceptatur, decem mille libras argenti superet, prouincient, quae autem minoris momenti sunt, ad iudices locorum ordinarios remittant. Principum vero erit, lalentias ab his tribunalibus latas, prompte, non aliter, quam si ipsi iudicassent, exequi. 8) Vt Vnio eo validior sit arctiusque cohaereat, singulæ ciuitates, iam recitata capita suis sigillis

munire, nec, vt quiequam mutetur, aut mouetur, permettere debent. De quibus autem in hac Vnione nihil patrum conuentumque, de illis secundum duas tertias votorum Senatus statuendum erit.

## §. VII.

*Reiicitur  
multis ra-  
tionibus.* Sunt haec summa capita nouae societatis pacifica, per totam Europam, vt vides, & magnam partem Atiae & Africæ se diffundentis. Reliquas autem regulas, quas XIV pro continenda & confirmanda tam immani societate commendat Auctor, lubens praetereo. Pudet enim & poenitet, prudentis Lectoris bilem commouere vel nauis tam inanis instituti ulteriore recensione, quod neminem capere potest, nisi cui est mens pasta chimeris. Nec est quod ad probandam systematis phantastici possibilitatem ad foederatas ciuitates, Germanorum scil. Belgarum & Heluetiorum prouocet Abbas. Nec ipsum iuuat, quod Amphyctyones quoque olim apud Delphos in Graecia iudices essent inter liberas ciuitates & respubl. constituti: a quibus condemnati sunt Lacedaemonii, quod Cadmeiam arcem Thebanorum occupassent, & Phocenses eodem Amphyctyonum iudicio hostes iudicati, totaque in ipsos Graecia armata fuit, vt memoriae proditum legimus apud veteres. Hos enim minores populos idem finis continet, eadem instituta, eademque studia: cum in maioribus, iisque tam diuerisis ac variis institutis studiis distractis, tamque diuersa reipublicae forma ac religionis quoque varietate & sententiarum disiunctis, foedera & societates diurnae esse nequeant. Et quis tam insigni nouae societatis pacifica Architecto persuadere potuit, quenquam ex Christianis aliisque potestatibus in hanc societatem illis quidem legibus vnuquam esse consenserum. Nonne vero vidit Abbas hanc Regum Principumque societatem coniunctam esse cum.

cum diminutione summi Imperii singulorum? Quia nunc directioni & coercioni supremi alicuius senatus se vltro subiiciunt, eoque independentiae suae iacturam faciunt; nunc iuris iurandi religionem singulis annis reddere, ac velut ab alio imperium agnoscere; nunc perpetuos speculatores ac inquisitores a supremo Senatu missos, patienter admittere & ferre tenentur; quin maximum illud Iurium Maiestaticorum, pupillam illam Principum, illud firmamentum Maiestatis, ius belli & pacis, & quae ex eo descendunt infinita alia, ius armorum & armandiae, ius extenuandi fortalitia seu munimenta, eoque nomine ius collectandi subditos, aut operas exigendi, ius praefidii, ius conscribendi milites, eorumque delectum habendi, ius metationis, sequelae & alia, proh nefas! amittunt, & in Senatus istius supremi arbitrium conferunt. Et tamen ausus fuit Abbas hoc systema phantasticum summis Principibus ac Regibus in speciem commendare? Germanis maxime, quorum gloriae & honori multum omnino hac societate fuisset deceffurum, propterea, quod Imperii nomine amissi, Austriacam tantum ciuitatem Abbas, eamque XXI loco inter ciuitates suas nouitias connumerat; Electores in novas ciuitatum facies transcribit; Germaniamque omnem in septem separatas respubl. distrahit; Galliae vero suae ad constituantem nouam ciuitatem nihil detrahendum putat, quo intuitu partium studio laborasse censendus est. Quin nec in totum quidem cum iustitiae regulis id institutum conuenit: vt enim non commemorem, Principes iura illa Maiestatica, quae ex pacto secundo a populis suis, in originaria electione, in se fuerunt translata, salua iustitia, haud posse invito populo, in aliud subiectum Maiestatis deriuare; sane illud ante omnia aperta iniuritate laborat, quod ex instituto Abbatis, omnes illi, qui vnionem accep-

B 3

ptare

ptare detrectant, aut ab eadem iterum cupiunt recedere, velut professi hostes sint considerandi: cum tamen ad foedera & societatem ineundam nemo iure cogi possit, & qui propriis viribus confusus, modo a laefione aliorum abstineat, eo solo nomine, quod cum altero foedus pangere detrectet, nulla ratione iuris pro hoste haberi queat. Quod adeo quidem per se clarum est, vt nemini, cui vel prima lineamenta in disciplina Iuris Gentium cognita sunt, dubium amplius superesse possit. Neque sola illa & cerebrina utilitas, quam ex irregulari sua societate sibi promittit Abbas, quod per se iniquum est, iustum ac legitimum reddere poterit, quia utilitas, tametsi plurimum, non constituit mensuram iuris. Quod infra adhuc latius erimus demonstratur. Atque illa ipsa adeo commendata utilitas, nisi in cerebro auctoris, apud neminem est habituram fidem. Credatne enim aliquis, post coalitam illam Gentium confederationem, adeo omnibus bellis impositum iri finem, vt non potius ipsa haec societas infinitis fere turbis locum & occasionem sit datura, eo quod societas per se est mater litium, in primis inter tam diuersos, tamque disparibus studiis distractos populos. Quis enim ipsos socios in fide & vnione continebit, quoties spes lucri, vel propriarum viuum confidentia, ad conuellendum tam iniquum foedus animum alicui stimulauerit? vnde etiam aliis huius generis societatibus vitam longaeuam haud solent promittere ciuilis prudentiae Magistri. *vid. B. Dn. HERTIVS Elem. Prud. Ciu. P. II. sect. XIX. §. 3. not. (1)* Neque illud profecto rem conficit, quod putat Abbas, communibus vnionis viribus refractarios illico esse in ordinem redigendos, & velut publicos hostes coercendos. Adeone enim rerum politicarum ignarus est, quin sciat, in tam potentibus sociis, facile vnum alterumue, vel metu vicinitatis & potentiae, vel fami-

familiae & coniunctionis necessitudine, vel largitionibus de-  
nique & corruptionibus, ac quod omnium latissime patet,  
propter immixtas & intercedentes suis studiis alienas utili-  
tates, quam plurimos sociorum posse ad suas partes pelli-  
cere, & irritam reddere omnem vnionis auctoritatem, vt  
conuulso tam iniquo foedere, in omnimodam libertatem  
se postliminio recipient, rebusque suis, vt par est & summis  
potestatibus conueniens, ex proprii animi iudicio imposte-  
rum prospiciant. Et numquid ab ipso supremo Senatu,  
in tam immodica eius auctoritate, Principes vnuquam in  
possessionibus terrarum suarum satis tuti reputandi erunt?  
quin ii, qui ad conseruandam communem tranquillitatem  
cum imperio constituti sunt, excussa pace, ipsi per scelus  
ad dominationem contendere possint? Sane militia, robur  
illud atque praefidum potentiae principalis, illis vacuam  
difficultatibus viam sternit, nam vt prudenter obseruatum  
est aliis, quorum imperio miles relictus est, ab eorum arbitrio  
stat caditue respublica.

## §. VIII.

Haec quamuis per se satis clara sunt, lubet tamen *Dicitur con-*  
confirmare grauissimo testimonio SAM. PVFENDORFII, *firmantur*  
Viri de Iurisprudentia Gentium immortaliter meriti. Is *auctoritate*  
*& testimonio* in *Dissert. Acad. de Systemat. Civit. §. 7.* quaestionem format: *nio Pufen-*  
*doris.*  
Annon officium foret ciuitatum Christianarum, saltim per  
Europam in systema aliquod, perpetuo munitum foedere,  
coire; cuius duplex potissimum finis sit: placidis modis  
finire controversias, quarum violenta disceptatio tantam  
vim sanguinis haurit; & infensam Christiano nomini Tur-  
carum potentiam coercere. Ad quam vbi postea respon-  
det, quin, inquit, & circumfertur delineatio eiusmodi reipu-  
blicae Christianae, ad institutum Henrici intentum habens  
digitum, designans, que ciuitates isti societati dare nomina de-  
beant,

beant, quibus finibus singularum ditiones sint circumscribenda, qui locus habendo concilio perpetuo, quae potestas concilii, qui numerus assessorum: quid copiarum sit comparandum extirpando communi hosti, & quae sunt alia. Nec deficit Dux, qui ad eiusmodi sistema constituendum volentes inuitet, tergiuersantes vi compellat, & superuacuas opes vni demendo, aliis addendo, in aequilibrium sociorum vires temperet. *Enim vero, pergit, praeterquam quod valde adhuc dubitemus, serio talia sint cogitata, an iste color tegendis longe diuersis consiliis sit obductus;* circa introducendam istam rem publicam talia presupponuntur, quibus confidere, aut rationes suas superstruere temerarium aut vanum fuerit. Fundamenti enim loco ibi habendum est, cum qui per istam mutationem ditionibus suis diu possessis est excusatus, non omnem moturam lapidem, ut sua defendat, ac omnibus ipsis conatibus fortunam aduersaturam. Tantam quoque multitudinem Regum Principumque, ac rerum publicarum liberarum, quorum multis exigua valde commoda ex tali mutatione poterant expectare, in id consilium conspiraturos, ac nemini subiuram inuidiam in eos, quos solos gloriae utilitas ex eo facinore manebat. Diffidium quoque religionis eiusmodi coniunctione nullam remoram iniecturum. Tum nihil impronsit velut ex transuerso intercursurum in consilio, cuius executioni nouem anni destinabantur; puta mortem eius principis, qui istarum rerum praecipuus auctor erat: nec discordiam inter socios interea posse oriri; aut diuersam partem, quae in ordinem erat redigenda, non posse unum aut alterum, ostentato maiore emolumento, sibi adiungere. Denique omnes tam obesaes naris futuros, ut credant, eum, qui primas in ea mutatione partes egerit, sola facti gloria fore contentum, omnesque sumptus ac labores in aliorum usum gratis impensurum, nulla prædictæ parte sibi deserpta. Praesertim cum non infrequens sit, suum quam me.

ne commodum captare tunc, quando ambitiosissime quis studium  
suum erga alios ostentat. &c.

## §. IX.

Magnus HVGO GROTIUS L. II. de I. B. & P. c. 23. Confli-  
 f. 8. n. 4. ad evitanda bellorum incommoda illud utile esse Grossii.  
repre-  
 monet, imo quodammodo necessarium, consuetus quosdam haberi  
cione esse  
 Christianarum potestatum, ubi per eos, quorum res non interest,  
dacetur.  
 aliorum contiouersiae definiantur: imo & rationes incautur co-  
 gendi partes, ut aequis legibus pacem accipient. Per legationes,  
 colloquia & congressus saepe magistrorum bellorum semina Non suffi-  
repressa: per mediationes quoque, quae consiliis & suasioni-  
 bus potissimum aguntur, latentes ignes suffocatos saepe fuisse  
 Grotio lubenter concedimus. vid. GROTIUS L. II. d. I. B. &  
 P. c. 23 f. 7. PVENDORF. L. 5. de I. N. & G. c. 13. f. 3. BOE-  
 CLER. Differ. de Congressibus Principiis BVRGER. Cent. 1.  
 Obs. 98. Sed haec obtinent tantum inter volentes, & pacis  
 consilia non prorsus reiicientes, ad contumaces sane applicari  
 nulla ratione possunt. Gens enim Gentium non est superior, &  
 summarum potestatum contiouersiae sua natura aliorum  
 decisioni non subiacent, etiamsi horum, quod raro fit, nulla  
 interesset. Et quamuis ad prudentes potentesque Princi-  
 pes spectare videatur, bellorum imminentium malis in  
 tempore prouidere, & oportune obicem ponere, ne vel ipse  
 iis implicentur, vel saltim ne publica tranquillitas in discri-  
 mena vocetur: Tamen in negotiis Gentium, aliorum iudi-  
 cio & directioni, vt dixi, sua natura non subiectis, ad ius  
 dandum cogendumve reluctantem, hoc solum non sufficit,  
 sed si subit validum ius belli, potest inter caussas esse, ob  
 quas id non remittatur, vt in simili materia idem GRO-  
 TIVS loquitur L. II. de I. B. & P. c. 16. Proferat igitur  
 modum Grotius, incautque rationes, quibus illaest libertate  
 Gentium, publicae contiouersiae sine cruento definiri, & ad

C

accide

accipiendam pacem cogi partes possint. Sed quomodo  
demum id fieri debeat, lenioraque media detrectantes in  
viam redigi, quin saluo iure Gentium ad seruandam pacem  
cogi quoque possint, id sane vir Magnus non ausus fuit de-  
finire. Vnde etiam hactenus inter votum substitisse, ne  
ad spem quidem solidiorem proiectum esse eius monitum,  
testatur VLRICVS OBRECHTVS de *sponsoribus pacis*  
c. 3. §. 2.

## §. X.

Huc etiam referri possunt *compromissa*, si bellantibus  
placuit *entrepreneur* pœnae tiri. *τόνος καὶ σύνολος*, arbitrium permittere  
alicui ciuitati aequas utrique parti, vt loquitur ISOCRATES  
*Orat. aduers. Ctesiph.* cum & alias pacis per arbitros contra-  
etiae vtitata materia sit, cuius exempla, copiosissima anno-  
tatione complexus est ipse GROTIUS de *I. B. & P. L. II.*  
c. 23. §. 8. & ib. not. L. III. c. 20. §. 46. ibique not. add PVFEND-  
DORF. de *I. N. & G. L. V.* c. 12. §. 4 seqq. & quae concessit  
B. Dn. HERTIVS noster in *Not. ad Puf. d. l. §. 3. tit. c.* Ha-  
bet paces per arbitros factas aliquam multas in Polonica  
Historia CROMERVS *L. X. XVII. XVIII. XXI. XXIV. XXVII.*  
*XXIX.* In Danica PONTANVS *L. II.* & apud THVA-  
NVM in controuersia Dano-Suecica *L. XLV.* ac apud LEIB-  
NIZIVM in *C. I. G. Dipl.* 14, 16, 32, 69, 70. plures quoque  
consignatas reperies. Nec absque ratione putat POLVS  
apud THVANVM *Lib. XV. Hist.* optimum factum sibi vi-  
deri, vt controuersiae ad arbitros, de quibus partes conue-  
niunt, remittantur. Ac PVFENDORFIVS inter sanctissi-  
ma officia non immerito reponit interpositionem arbitrii,  
ideo, quia sic humano eruori parcitur. Vtinam vero Gen-  
tes inter se collisae posthabito fatali bello, lites suas *provo-  
catione ad arbitros* semper decidere possent. Verum ha-  
bent primo arbitria inter Gentes id maxime incommodi,

vt

ut executio laudi non ab arbitrio, sed regulariter a victore ipso sit facienda, nisi id arbiter, voluntate partium, expresse in se receperit. Vnde quoque in re magni momenti raro arbitria interponi solent, sed subito marte controuersia dirimitur, ad quem nihilominus, post pronunciata arbitrii, vbi condemnatus vltro iudicata praestare detrectat, ultimato inter Gentes erat deueniendum. Deinde arbitria quoque, quae conuentionibus fiunt, non nisi inter volentes locum obtinent. Gentes enim, quarum actiones, sua natura, nulli humano iudici subiacent, nulla quoque ratione cogi possunt, ut inuiti quamuis, & iuris sui tenaces, arbitria aliorum subeant. Et licet arbiter talia proponat media, viamque monstrat, qua rationi & acuitati consentaneam pacem alter obtinere sine armis possit, tamen vbi is hoc quoque recessit, propterea arbiter nullum ius consequitur, vim adhibendi leniora remedia contumaciter detrectanti. Hoc enim parum abset a bello punitivo, toties a commentatoribus Grotianis refutato. Et est omnino, in statu naturali quilibet actionum suarum proprius moderator & arbiter. Tametsi quoque hoc casu, propter contumaciam & obstinationem aliquis male audiat, tamen arbitro hoc nullum ius tribuit, aut iustum belli causam. Vnde satis mirari non possum quorundam Doctorum in afferendo facilitatem, qui non dubitant quasi pro re comperta statuere, ob maxima incommoda, quae ex reiecto arbitrio, & belli continuatione oriuntur, ac in innocentes quoque deriuantur, Principes ad arbitrios recipiendos, in statu naturali cogi posse. v. TESMARVS ad Grot. L. II. c. 23. §. 8. Possunt id saepe humanitatis iura suadere, ut Princeps, etiam a iusto bello abstineat; poscit id saepe prudentia, verum inde adhuc nihil decedit iuri eius, nec iustitia belli labefactatur, in eo, qui mauult ius suum persequi. Qua enim is iustitia quo

quo fundamento potest impediiri in persecutione iuris sui?  
Nam & illud omnino falsum est, quod aiunt, eos qui spernunt auctoritatem pacem suadentis, & aequas iustasque conditiones reiiciunt, videri iustitiam laedere & iniuria affere pacis ministros. Ludunt illi vocabulo iniuriae, quam hic pro inhumanitate seu incivilitate supponunt, qualis fane, licet notam aliquam incurrat, non tamen praebet iustum belli causam.

## §. XI.

*Romaneius dubium,* Neque maiore cum fundamento ab arbitro dici potest: vestra dissidio meis utilitatibus intercedant, multisque fidia nostru meam rempublicam & magnis detrimentis afficiunt. Hinc insaepe visitare meum, renocare vos a dissidio, & si sequi non vultis, trahere. turibus incedere. Nam & huic dubio seite & graanter satis iuit obuiam Doctifimus BOECLERV<sup>S</sup>, in *Dissert.* quae inscribitur: *Quies in turbis.* Hic enim disceptantes apte regere possunt: Nulla ratio iurat, ius suum in alieni juris diminutione collocantem. Nos suum quisque ius persecutum: tu obtentu iuris tui nos vis impedit, quo minus consequamur ius nostrum. Si nostru iuris disceptatione tua laedantur commoda, nullo id nostro consilio, adeoque nec nostra culpa fit, nec tais utilitatibus inuidemus, nec intercedimus. Sane, qui iure suo vtitur, nemini facit iniuriam, adeoque nec belli caussam praefat, tametsi ad alium indirecte damnum aut incommodum inde redundet. Fas est priuatis fodiendo in suo, vicini fontem auertere, *L. 26. de damno infect.* & aquam in proprio fonte scaturientem in damnum vicini abducere. Quidni lieceret Gentibus ius suum armis persequiri, licet hic indirecte laedantur commoda vicini. Talia cum vicinis patienda, a quibus & commoda multa alio tempore in nos redundant. Ne quid tamen hic dissimulem, potest adeo alienis dissidiis nostra intercurrere, non utilitas modo, sed & necessitas, ut

ni pereas, perimas, sociumque te alienae fortunae adiungas.  
Quo calu foedere opus est, vt iuste alieno bello acceſſe  
videaris. Nam nouas in bello partes facere, aut se bellan-  
tium alterutri socium addere, vnicuique pro antiquiorum  
foederum ratione, vel quoconque alio iure suo liberum aut  
vetitum esse potest. De quo infra ex professo dispien-  
dum nobis erit.

## §. XII.

Speciosius forte pro stabiliendo inter inuitos arbitrio Examina-  
argumentum illud est, quod proferunt, homines saepe ex our aliud  
perturbatione animi, vel ob ignorantiam momentorum dubium pro  
circumstantium, suis propriis commodis resistere. Vbi stabiliendo  
sane aquitas & ipsa lex charitatis postulare videbatur, vt inter inuitos  
his quoque, nolentibus licet & pertinaciter resistentibus, arbitrio alle-  
occurrant alii, atque ii maxime, quorum communes inter- garis soli-  
cedunt utilitates. Vnde & proinconsulis ac ignorantibus, sum.  
qui pro inuitis & palam detrectantibus, sponsiones pacis  
miri posse probat VLRICVS OBR ECHTVS *Dissert. de*  
*sponsoribus pacis cap. 3.* Et cum non ita pridem CAROLVS  
XII. Sueciae Rex aeternae memoriae nullis consiliis pacis  
locum relinquere vellet, belligandi negotium quasi in  
perpetuam artem conuersurus, non semel viros Politicos  
eosque negotiis publicis praefidentes hoc argumento vſos  
fuisse memini: cogendum est Suecum ad pacis conditio-  
nes accipiendas, ideo, quod ex perturbatione animi & affe-  
ctibus, propriis suis commodis resisteret. Verum, quantum  
ad sponsores pacis attinet, cum iſ ſuſ legitime belligeran-  
tium in faluo relinquant, ac sponsiones suas subsidiarie de-  
mum, & sub conditione interponant: *ſe poſtea pax inter*  
*partes belligerantes legitime fuerit concluſa, dubium non eſt,*  
eos quoque pro inuitis & ignorantibus intercedere poſſe.  
Sponsio enim per ſe huius indolis eſt, vt tum demum com-

C 3

mit-

mittatur, vbi pax fuerit legitime contracta; quod ex conventione Hagensi, an. 1659 in medio aestu belli Sueco-Danici conclusa, ipse probat laudatus OBRECHTVS. In ea enim art. 5. obstringunt se inuicem Gallia, Anglia, & foederatum Belgium in forma omnium optima, amplissima securissimaque, ac reciproca obligatione, si pax inter Reges Daniae & Sueciæ instauraretur; ut Iaponiores, fideiassores, vindicesque essent, eorum omnium, quae inter eisdem Reges pacis sancirentur, ut ea rite ac sedulo obseruarentur, ac penitus per omnes numeros impleverentur. Quorundam etiam referendum est, quod Ill. PVFENDORFIVS monuit L. V. de I. N. & Gent. c. 12. §. 7. Posse plures, quorum præcipue interest litem spiri, pactum inter se inire, super iunctim suscipienda litigantium compositione, ac se mutuo obstringere, quoque singuli bello isti se possint immiscere. Haec enim omnia, quia de rebus ad se pertinentibus occupantur, nec iuri legitime belligerantium, qua belli, qua pacis incundae facultatem, præiudicium ullum inferunt, naturali Gentium iure illicita esse non possunt. Hinc tamen nihil quicquam inferre licet ad quaestionem nostram, de iure cogendi belligerantes, ad recipiendos arbitros, pacemque inter se ineundam. Quae vtterius nec eo praetextu affirmari potest, quod belligerantes ex hostili feroce & perturbatione animi, vel momentorum circumstantium ignoratione, suis propriis commodis resistant. Quis enim in statu naturali alterum alterius actionum iudicem constituit? Annon litigantes eodem iure dicere possent, eos, qui rebus suis se inique immiscent, alienae inhiare praedae, partiumque studio duci, ac ignoratione causarum circumstantium labi? Et si vel maxime belligerantes nunc ratione sua abuterentur; inde tamen legitimum ius belli nondum amitterent, quia rerum iuriumque suorum abusus non meretur eorundem priuationem, inter eos, qui nullum iudicem agnoscunt; eoque nec aliis facultas aliqua

ac-

accrescere potest, auferendi litigantibus iuris belli, aut vim inferendi iis, qui in fauorem alterius, aut publicae tranquillitatis causa, hoc iure suo cedere recusant. Suadet id quidem humanitas & ipsa lex charitatis, ut consilio errantem adiuues, sed penes ipsum tamen semper erit, consilium tuum probare vel reiicere, nec poteris eum remedii coactius ad consilium tuum admittendum adigere. Quae enim charitas est, spoliare alterum iure suo, aut id saltē imminuere? Quae humanitas, vim ei inferre, qui nullo suo consilio nec culpa te offendit. Inter eos, qui in ciuitate & sub eodem iudice viuunt, eoque ~~xerodion~~ & priuatam vindictam amiserunt, factum defendi potest, si valentior aliquis vim inferat inique concertantibus, eosque ad seruandam pacem ciuilem constringat. Quo intuitu PLATO L. IV. de Legibus puniendum censet eum, *qui vim alteri inferendam non arcit.* Heic enim duello impliciti, nullo tuentur iure, sed pro ipso arbitro potius vim adhibente, militat tutela iuris publici, potestque hic coram communi iudice facti sui rationes proponere & ventilare. Verum haec omnia iterum ad Gentes applicari haut posse, quis non videt? add. BERLICH. P. IV. Concl. 12. n. 45.

## §. XIII.

Atque ex eo illustrari debet, quod Doctores magni nominis profitentur, iuste bellum suscipi posse, quoties adeſt causa hominum communis; qualis est, si, quod sit, pertineat ad turbandom societatem humanam. *vid. B. SIMON. HENR. MVSAEVIS in Selectis ex Iur. Nat. Controv. th. 42.* Quorum sententiae non equidem omne robur facile denegarem: neque tamen existimem ad nostram materiam tuto applicari posse. Satis quippe iniuriae est in illa turbatione, vel in actum deductā, vel concepta & in exitium omnium proxime eruptione. Ergo quoque satis causā adeſt, ex qua eiusmodi turbulentus Princeps iuste bello oppeti, & ad officii terminos

nos redigi possit. De quo in sequentibus plura dicturi sumus. Verum non est de eo iudicium vnius. Et quamvis aliquis coelum & terram moueat, clamet, vociferetur: periclitari vniuersum genus humanum, totius Europae salutem in discrimen vocari, pro libertate omnium & incolumente arma sumenda fuisse, gratiam ab yniuersis expectari. Nunquam tamen possum a me impetrare, vt credam, rem serio agi, quin potius existimem, sub ostentatione communis periculi ipsum turbulentia confilia tegere, & puluerem tantum in hominum oculos conicere, quo minus, quid falsa ista officiorum specie occultetur, alii peruidere valeant. Credatne enim aliquis, in communia isto omnium mortaliū periculo, vnum tantum posse esse oculatum, ad sensum eius ceteros omnes hebescere, & in tam clara luce vnius, in perpetua velut nocte & caligine versari posse? Absit. Quae enim ad turbandam societatem humanam faciunt, omniumque hominum saluti & libertati infidias struunt, communi omnium Gentium iudicio pro talibus declarantur, ab vnius sane arbitrio non pendent. Quod in Piratis constat, quorum instituta Gentium hominumque societatem inuertunt, eoque communi etiam Gentium mortatorum iudicio ipsi pro perpetuis hostibus declarantur.

## §. XIV.

*Bonum finis,  
qui dicitur  
esse salu-  
tis huma-  
nas, defen-  
das cum qui-  
pro commu-  
ni omnium  
tranquillita-  
te non in-  
fero iniquo  
genio turba-  
ritur Re-  
gadatur.*

Nonne vero finis tam egregius & laudabilis legitimatib ac defendet eum, qui pro obtainenda communi Gentium tranquillitate vim adhibet, iniquis pacis turbatoribus; cum salus totius Europae iubeat, vt eidem, velut supremae legi, singularium rerum publicarum opportunitates sint subiectae; & alias quoque finis censeatur bonitatem dare ame- diis; ac boni finis causa omnia licere putent Politici. Est hoc sane horribile secretum quorundam Italorum, quo omnia fere scelerata defendi possunt, modo reipubl. utilia fint.

sint. vid. VLRICI HVBERI *Auspicio domestica Orat. III.*  
*p. 140. seq.* Et differte quoque MILTONVS legem dicit a  
 DEO ipso & natura sanctam, vt omnia, quae reipubl. sa-  
 lutaria essent, legitima & iusta haberentur, quapropter etiam  
 iure Carolum Regem supplicio affectum putat, *in praef. De-*  
*fens. pro populo Anglicano contra Salmas.* Non enim, quod  
 in se malum & iniustum est, vtilitatis, quamuis publicae  
 causa tale esse definit, vnde & GROTIUS dixit, *vtilitatem*  
*ad ius dandum non pertinere, sed si subsit ius, posse inter causas*  
*esse, ob quas non remittatur.* Et nonne quoque in arbitran-  
 do fine isto possunt homines vanis rerum imaginibus illu-  
 di, & pruae voluntatis suae illico decipi? Quod vero ad  
 vulgatum canonem Metaphysicum attinet, censetur qui-  
 dem finis bonitatem dare mediis; sed, vt optime Phi-  
 losophi explicant, non id accipendum de bonitate  
 morali, quasi finis, si moraliter bonus sit, etiam media  
 talia esse faciat, verum ita potius intelligitur, quod medium  
 vt medium, per se & propter se, non sit expetibile agenti,  
 nec adeo hoc modo ametur; sed quod ametur, id inde es-  
 se, quod res, ad quam quaerendam vtile est, tanquam finis  
 appetatur. Discernenda quoque in mediis, res sua na-  
 tura & interius malae, ab indifferentibus, nam his solis bo-  
 nitatem finis impertit, non illis. Ceterum in ciuitate  
 quidem, omnium actionum maxime publicarum cynosura  
 est salus reipublicae, quam dirigit & determinat is, qui ciui-  
 tati cum imperio est praefectus: sed hoc ad integrum Eu-  
 ropam, vniuersim sumtam, haud sane potest applicari. Vti  
 enim eius cura vni soli non est commissa: ita vnum etiam  
 de salute totius Europae pro arbitrio suo iudicare non pot-  
 est, sed tunc demum vniuersa bene habet, cum singulac  
 eius respublike iuste & prudenter administrantur. Ac vbi  
 communis omnium salus periclitatur, tum optime omni-

D

bus

bus prospicitur, vbi vniuersi ad auxilium & remedia curunt, communemque causam communibus quoque consiliis & rationibus sustinent.

## §. XV.

**E**s aliquis potens eius  
ratio Rector,  
eque procul positis, deinde etiam omnibus virtutibus, iustaque potentia, ad tantum negotium necessaria, reperiatur instructus, studio, iusto amans & aequi, sitne is fortean meliore iure fundatus, inque rebus ac disfidiis aliorum, legitimum habebit arbitrium? Est nempe aliquis, tam eminentibus animi dotibus praeditus, procul a partium studio, iusti amans & aequi, non alieni appetens, sed pacis & tranquillitatis conseruator, plurimum ratione, perspicacia & vnu rerum gerendarum pollens, ac praeterea tanta potentia instructus, vt ad arbitrium Gentium, quasi natus esse videatur. Nonne hic saltim ad exequendum tam sublime & salutare officium a diuina prouidentia velut destinatus videbitur? Poteritne adeo diuinae vocationis nomine inflammari, quoties commissos bellis populos, a funestis dissidiis, vi & armis reuocandi occasio affulserit? Id enim etiam a nonnullis maximopere defendi video. Et fuit is omnino quorumlibet fere potentiorum bellatorum, iam inde ab antiquissimis temporibus, quaeſitus praetextus, qui in omnes imperandi ius, velut maiores in minores, a naturae quasi legi se accepisse putarunt, ideo, quod vbi rationis & potentiae versatur plurimum, ibi iusta quoque imperandi cauſa fit, & fons legitimus. *vid. PVENDORF. L. 1. de I. N. & G. c. 6. §. 11. 12. L. 3. c. 2. §. 2. add. GROTIUS L. 2. c. 20. §. 9. 10. & in not.* Quo nomine DIONYSIVS repressurus indignationem & inuidiam Graecorum, Romanos iniquis animis ferentium: *Aequo animo, inquit, iusta subiectio ferenda. Naturae namque, communique omnium lege, nullo peri-*

tura

tura tempore, praestantiores inferioribus perpetuo praesunt. Neque accusanda fortuna, quae gratis tantum imperium urbi minus idoneae tamdiu tradiderit. Dicent enim (Graeci) ex hac historia urbem talem a suis continuo primordiis innumera-biles emisisse virtutes hominum, quibus neque sanctiores, neque iustiores, neque temperantiores in uniuersa vita; neque in re militari praestantiores unquam Graeca, vel barbara ciuitas ullam tulit. Quae quamvis sit ambitiosissima, & in contemnum aliarum Gentium excogitata Romanorum assertio; video tamen in hac ipsa materia, quae de arbitrio inter inuitos sumendo occupatur, nonnullos hoc argumento vti, tanquam palmari & praecipuo, cui velut fundamento superstruunt, ARBITRIVM IVRIS GENTIVM LEGALE, inuidiosum nomen est hactenus omnino, nisi apud inflatos insolentia populos, incognitum. Quod ulterius simili Auctregarum legalium in imperio, prudenti illo auertendis Statuum diffidiis & bellis instituto, illustrant, idque dicunt, etiam locum in Gentibus obtinere citra antecedentem partium conuentionem: nec huiusmodi arbitro legali Gentium conciliatorum tantum operam tribuunt, qua suasionibus per rationum momenta ius pacis consilia suppeditet; sed, quamvis initio talia suggerat, quae ad praefentem rerum statum accommodata videntur, viamque futuras turbas euitandi monstrant: tamen, vbi talia audire controuerentes pertinaciter detrectant, mox eidem quoque ius & fas esse contendunt, vt vi maiori adhibita, vel certe minus offensa, aut a praeparato & concepto bello, aut minimum, ab ultero eius contiuuatione partes controuerentes absterreat, iubeatque rem acceptatis non inquis pacis conditionibus, amice componi. Quapropter talem arbitrii huius Iuris Gentium legalis definitionem tradunt: Quod aequilibrii, variisque aliis Iuris Gentium rationibus innititur,

& ad tranquillitatem pacemque communem, partim consilio & argumentis, partim vi & armis, retinendam & recuperandam ordinatur, ab omni eo, qui prudentia viribusque propriis confidere potest, nec per propriae suae ciuitatis rationes impeditur, secundum regulas eum publicae, tum priuatae salutis Gentium, probe inter se temperatas, causa eveniente, faciendum, atque inter bellum moturos, aut eodem iam implicitos, exercendum.

## §. XVI.

*Refellitur  
rationibus.  
Arbitrium  
inter Gentes  
legale nul-  
lum dari,  
idque nomen  
enim iudicium, puuum, vnuis piae altero, nisi ex conuentione aut possessione  
et hactenus, ne sibi arrogare potest. Vnde & Reges se vocare inuicem  
nisi apud in-  
fratres, ab antiquissimis temporibus visitatum fuit: suntque  
Etores aequales omnino habentur, nec ullum ius praecipi-  
tum est, quod  
dentia popu-  
los, incogni-  
tum esse  
pluribus de-  
monstratur. illos. Et sicut Graecis nefas fuit esse arbitris in Romanos;  
ita Graecorum quoque actiones a Romanorum arbitrio  
sua natura erant liberae. Imo, qui in statu naturali  
se arbitrum constituit actionum alterius, is eo ipso eidem  
concedit ius, & facultatem simile quid in eundem exercendi. Nec sola vnius piae altero potentia hanc aequalitatem Iuris Gentium tollit, aut potentiori arbitrium tribuit  
in alios, nisi HOBBII errorem velimus defendere, aequalitatem naturalem ex viribus dimetentis. Bene PLINIVS  
in Panegyr. c. 38. Non ut inter pecudes, sic & inter homines  
potestatem & imperium valentioribus natura dedit. Quin ca-  
ueant potius Gentes, ne qua potentiori arbitrium in suis  
rebus*

rebus concedant, ne dum, vt legale arbitrium is sibi arroget, permittant, quia saepe ex affectata pacis tutela noui belli femina & praetextus quaeruntur. In quem sensum de Antiocho M. PLVTARCHVS in *Catone Maiore* refert: *Bello praetextum sumebat, liberare Graecos, libertatis non egentes.* Expertae id quoque fuerunt, Graecorum ciuitates, dum aduersus Philippum Regem, Romanorum arbitrium suo damno implorarent. Solebant iam tum Romani sibi attribuere arbitrium Gentium legale, vnde apud FLORVM L. III. c.18. populus Romanus vocatur *Regum Gentiumque arbiter.* Et ipsi Graeci apud LIVIVM L. XXII. c.19. ita de Romanis introducuntur gloriari: *Esse aliquam in terris Gentem, quae sua impensa, suo labore & periculo bella gerat, pro libertate aliorum, nec hoc finitimus aut propinquae vicinitatis hominibus, aut terris continentis iunctis praefest: maria traicit: ne quod toto orbe terrarum iniustum imperium sit, ut ubique fas, ius, lex potentissima sit. Vna voce praeronis, liberatas omnes Graeciae atque Asiae urbes, hoc spe concipere, audacis animi fuisse: ad effectum adducere, virtutis & fortunae ingentis.* Satis profecto pro ostentatione. Et elegans id quidem, nisi aliunde constaret, Graecos his ipsis suis arbitris seruitutis iugum debuisse. Neque omnino in hoc statu Gentium aequali, arbitrium de Iure Naturali proprie & stricte dicto ei deferendum, qui iuste agit, & praepolle sapientia. Tametsi enim unus, qui potentia praeditus est, simul quoque omnes virtutes possideat, quae ad arbitrium inter alios Reges subeundum necessariae videbantur: inde tamen nil nisi ius imperfectum consequitur, seu aptitudinem ad arbitrium Gentium, & dignus quidem is esset, cuius iudicio omnes Gentium controversiae subiicerentur. Non autem ideo habet ius perfectum. Vnde si alii hoc arbitrium subire detrectent, non sane iniuria hunc afficiunt, sed ob-

pertinaciam tantum, immodestiam & inhumanitatem male  
 audient, quod nondum tribuit iustam belli causam: in pri-  
 mis cum hoc principium maximas semper lites sit excitare  
 aptum, inter eos, qui nullum iudicem habent, quando ne-  
 mo sapientiori aut digniori libenter cederet, neminem se  
 sapientiorem & digniorem existimans. Sola vero ratio  
 aequilibrii inter potestates Europeas tuendi, eoque ad  
 aequabilem redigendi potentiam, ad arbitrium illud legale  
 fundandum non sufficit, hic enim omnia ea regeri possunt,  
 quae supra §. XIV. de publica utilitate, ac fine mediis bonita-  
 tem impertinente commentati sumus. Multo minus vero  
 simile illud, ab Austregis Statuum Imperii desumtum, ad  
 liberos & independentes populos, eorumque Rectores ap-  
 plicari potest. Status enim sunt sub uno nexu vniuersali,  
 eoque non foederali tantum, sed & imperiali; & continen-  
 tur legibus publicis, ac supremis Imperii iudiciis subiiciuntur;  
 quo contemplatu etiam eorum controuersiae spectant  
 ad Austregas, consuetudine primum, vt videtur, mox vero  
 publica lege Maximiliani I. constitutos. Quae omnia ad  
 liberas ciuitates eorumque Rectores incongrue applican-  
 tur, quia nulla lex Gentium hoc arbitrium legale induxit.  
 Quod vltius finem illum, cui obtinendo a nonnullis con-  
 fingitur, per se, raro aut nunquam consequi potis est. Ar-  
 biter enim ipse, a quo, vt gratis semper tale auxilium praes-  
 stetur, ob magnitudinem impensarum, salua fronte exigi-  
 non debet, nunc propter impedimenta domestica aut ex-  
 terna bella, praeuisis turbis in tempore occurrere impedi-  
 tur: nunc rerum compositarum inconstantia, aliaeque  
 cause multae prohibent, quominus omnes futuras & im-  
 minentes contentiones Gentium praeuidere, nouasque im-  
 posterum controuersiarum causas tollere, ac semina earum  
 reprimere statim possit.

§. XVII.

## §. XVII.

Possem hic nonnulla inspergere de *forte*, ideo, quia *Agitur de forte & certamine singulari.*  
*certandarum contentionum causa*, eam apud varias *Gentes* receptam esse, idoneos autores secutus tradit *GON-*  
*ZALEZ TELLEZ ad c. Ecclesia 3. X. de fortileg. n. 7.* Ac de  
*certamine singulari* *GROTIO* videtur in *L. II. de I.B. & P.*  
*c. 23. §. 10.* eius vñum quoque non omnino repudiandum, si  
duo, quorum controuersiae alioqui totos populos grauissi-  
mis malis sint implicaturae, inter se parati sint armis de-  
cernere, qui dicta exemplis legibusque confirmat, conf. *IO-*  
*ACH. BVRGER Cent. 1. obs. 98.* Verum praeterquam quod  
nobis heic quaeratur, quae via sit ineunda cum iis, qui lenio-  
ra consilia accipere detrectant, videtur etiam vterque ille  
modus non parum temeritatis continere, vbi de rebus ma-  
gni momenti controuersia est; quia vterque *aleam* continet.  
Cur enim sua ac reipublicae iura aleae committeret Prin-  
ceps, quamdiu adhuc certiora adlunt iuris sui defendendi  
aut recuperandi remedia. Adeſt exquisita militum manus  
& tot robora virorum, qui pro Rege, pro patria, ad ultimum  
dimicare parati sunt. Hic robur, hic securitas. Cum e con-  
trario iacta iam alea, aut certamine *non absque temeritate*  
finito, vbi ulro *quod* in controuersia fuit, non praefetur,  
inter Gentes iam nemo fit, qui victum ad praestandum adi-  
gere possit; sed de nouo res armis fit decidenda. Vnde  
hodie quoque raro aut nunquam his modis magnas con-  
trouersias inter Gentes definitas esse nouimus.

## §. XIX.

Hactenus multa remedia examinauimus, quae pro *Transitio ad*  
*firmando pace naturali, & euitandis bellorum molestiis, a*  
*variis excogitata & commendata fuerunt.* Eorum tamen *versa reme-*  
*nullum omnino calculo nostro probauimus, eo, quod vel* *dia, quibus*  
*iniusta sint, vel incerta & inconsulta, quin ipso quoque* *prudens ci-*  
*malo,* *uitatis Re-*  
*for occasio-*  
*nibes bellorum*

*rum e lon-*  
*ginquo pree-*  
*prorsus curam & medicinam publicus morbus respuit? Ita-*  
*nus in tem-*  
*ne libere, potens & ambitiosus ciuitatis Rector, viribus suis*  
*ponere posse, confisus, publicam Europae tranquillitatem, pro lubitu con-*  
*uellat, & nullo sufficiente impedimento in tempore opposi-*  
*to, vnius victoria semper abutatur in instrumentum op-*  
*pressionis alterius: Itane turbulentus Princeps ultra ius*  
*fasque exorbitans ambitionem suam innocentium sanguine*  
*perpetuo satiabit? Absit. Et spectat omnino ad pruden-*  
*tis & potentis Rectoris curam atque officium, vt occasio-*  
*bus bellorum e longinquu preeuisis, obicem opportune*  
*ponat, & alterius iniquos conatus ac turbulentia studia inter-*  
*uertat, ne propria ciuitas sua, alienis dissidiis intercurrens,*  
*tandem ipsa quoque in discrimen vocetur. Quod vt ex*  
*ipso fine delati summi Imperii per se fluit, ita sane nemo,*  
*quod sciā, summis potestatisbus vñquam id ius ereptum*  
*iuit, aut in dubium vocare ausus fuit. De iure ipso igitur*  
*nihil discriminis supereft; sed agitur tantum de agendi*  
*modo, & legitimis mediis exercendi istius iuris, quia non*  
*probamus eorum sententiam, qui omnia peraeque media*  
*ad exercitium Iuris legitimi tendentia, ob id quoque legitima*  
*esse existimant. Quemadmodum igitur suprema Principiū*  
*iura male defendunt illi, qui ea, quamvis bonis rationibus suffulta, tamen fculneis & dubiis argumentis superstruunt: ita nec illi quoque Principibus suis valde prospicere sunt censendi, qui ad exercitium Iuris legitimi, inuidiosa vel iniqua media comminiscuntur, eaque malis rationculis defensa, Principibus suis suadere & in speciem commendare non dubitant.*

*In eo acqui-*  
*librii inter-*  
*Gentes tu-*  
*andi summa*  
*ratio sita.*

## §. XIX.

*Alia igitur nobis est discedendum via; Et vt belli*  
*incommoda cuitentur, neue vicini & innocentēs, populi*  
*vnius*

Vnius potentioris & iniqui bellatoris praedae adeo impune  
 relinquuntur, non aliud sane medium iustius simul & effi-  
 cacious esse appareat, quam vt commune periculum commu-  
 nibus quoque viribus repellatur, in eoque solo salus singu-  
 lorum quaeratur, in quo sita est omnium: cum alias ab  
 vnius pernicie ad alterius exitium proximus sit progressus.  
 Et hoc sane aliter fieri nequit, quam pacto communis plurium  
 foedere, ad publicae vtilitatis rationes prudenter attempe-  
 rato. *Foedera* inquam; non vniuersali illo omnium Gentium;  
 aut maioris praecise partis Gentium Europaeorum,  
 quale contra Turcas Christianis ineundum esse Grotius sua-  
 fit. Vtrumque enim illud, tum propter diuersa plurium  
 studia, tum ob alias quoque rationes bene multas facile  
 iniri posse, initum durabile esse, supra negauimus: Sed foede-  
 rare inter eos initio, quos idem periculum eademque studia,  
 & eadem ratio Status connectit. Inter eos foedera longio-  
 rem fere vitam consequuntur, & durant omnino, donec  
 propulsum commune istud periculum esse videatur. Iam  
 sicut foedera pro sua cuiusque vtilitate pangere cuilibet  
 Iure Nat. integrum est: ita nec illicitum nec nouum, in  
 ipso bello nouas partes facere, & belligerantibus accedere,  
 pro suo cuiusque iure aut vtilitate. Quo intuitu illi quo-  
 que ad foedus & societatem admitti possunt, qui ex parti-  
 bus belligerantibus ad ineundam & conseruandam pacem  
 proniiores esse, aut qui iniuriam pati videbuntur. Atque  
 in eo aequilibrii inter Gentes tuendi summa ratio sita est,  
 vt opposito iusto aliorum aequipondio, ambitiosis ausis  
 vnius obex ponatur in tempore, & aequa lance, vltro ci-  
 troque iusta obseruetur proportio; ducta similitudine ab  
 aliis rebus naturalibus, quae pondere aestimantur, in qui-  
 bus exacta est aequalitas, cum neutra pars librae praepon-  
 derat. Verissimum sane est & quasi e tripode dictum illud

E

Solo-

Solonis oraculum, *aequalitatem nullum bellum concitare*, quia mutuus metus aequales in pace continet. Sed cum hoc rerum statu, inter Gentes singulariter consideratas exacta virium aequalitas obtineri nequeat, nec salua iustitia quoque heic & semper *directo* introduci possit; id saltim accessione sua & vnione efficiant Gentes, quas vel metus potentioris, vel studium pacis, aut communis utilitatis ratio connectit, vt quoties potentior aliquis tranquillitatem Europae in discrimen vocat, coadunatis plurium viribus, eidem valide resistant, & coniunctione plurium Status Europae reddatur aequabilis. Quo remedio bellum in tempore suffocatur, concordia restauratur & pax constans omnibus acquiritur. *vid. PVFENDORF. L. V. de I. N. & G. c. 13. §. 7.*

## S. XX.

*Illustratur exemplis ex stissima aequissimaq[ue] visa fuit, vt bello apud finitos westeri & re- centiore bi- coorto, nunquam ipsae imperatae essent, & quanto possent conatu, moderandae vnius potentiae consilia inirent. Quo facto olim Romani, Franci & Gothi, Hunnis mature obfistabant, non passuri, hos nimium excrescere. De THEODO- RICO Ostro-Gothorum Rege refert IORNANDES, eum Clodouaei Francorum Regis potentiam hoc modo moderatum iuisse. Videbat enim, hunc Goths e Gallia exigere, & Thuringiae Burgundiaeque Reges vectigales sibi facere, & tantum non ad arbitrium contendere Europae. Quapropter per epistolam, quae apud Cassiodorum extant, vicinos admonebat, vt sibi prouiderent, coniunctisque secum viribus, eidem iustum aequilibrium opponerent, ac sibi omnibus hoc modo pacem & libertatem conferuarent. Sed ne longinqua & ex veterum petita monumentis exempla huic cumulem, recentiora adsunt, quae in omnium adhuc luce versantur. Quid enim aliud egerunt foederati Principes,*

cipes, Angli scil. Sueci & Bataui, in celebri isto foedere tergeminio, quod pro conseruando Belgio Hispanico, superiore seculo interant, quam ne nimium decoresceret Hispani potentia, quin potius Gallo redderetur aequalis, cui coercendo & ad aequabiles terminos redigendo, ipsi hoc foedere prouidebant. Ita enim magnus ille in Batauis Politicus Barneueldius omnia agenda dicebat, ut Hispanus decoresceret, Gallus non cresceret. Et utinam foederati semper hoc consilium obseruassent. Talia quoque tempore pacis Monasteriensis anno scil. 1647 agitata a Principibus quibusdam, de ineundo nimirum foedere inter Saxonem, Brandenburgicum, Luneburgicos, aliasque Germaniae Principes, quo factionis nouae, nec Caesareis, nec Gallis Suecique addictae, sed pacem Imperio redditurae fundamenta iaciebantur; quibus destruendis, ac distrahendis Germaniae Statibus, Gallus tunc omnem eonatum adhibuit, & ut Brandenburgicum sibi potissimum conciliaret, cumque a foedere auerteret, volente Mazerino, Rex fraternitatis honorem, quod antea constanter recusauerat, Brandenburgico tunc primum adhibuit, ut refert FVRSTENER. *de Suprematu c. 36.* Quid aliud voluerunt Suecos inter & Batauos, tum inter Caesarem quoque & Suecos anno 1682 factae confoederationes, quam ut intra terminos contineretur Gallus, & ab vterioribus direptionibus in Imperio, ceu iniustissimae *Reunionis* effectis, imposterum prohiberetur? Et famosa illa vno, quae anno 1686 Augustae Vindelicorum, inter Caesarem & Regem Hispaniae, plurimosque Germaniae Status & Circulos Imperii, eum in finem inita fuit, ut Gallum ab inquis ausis & praetensionibus in Palatinatum, in tempore impeditrent, de qua vid. PVFENDORF. *in Reb. Brandenburg. L. XIX. §. 2.* Aliaque anno 1689 aduersus eundem Gallum inter Caesarem & Belgas inita societas, cui

postea VVILHELMVS III. Angliae, & CAROLVS II. Hispaniae Reges quoque accessere; de qua itidem conferendus PVFENDORF. *d. L. XIX. §. 31. 32.* Quid denique aliud voluit nostra omnium memoria, initio huius seculi celeberrima totius fere Europae aduersus Gallum coalita societas, quam vt ab acquirenda Monarchia Hispanica ipsum prohiberent, cuius iniqua accessione vnu omnibus futurus fuisset formidabilis?

## §. XXI.

*Remonstratur dubium Tis-  
sii & Bar-  
bayraci.*

His, quae dicta sunt, non obstat primo, quod B. TIVS & Celeberrimus BARBAYRACVS mouent, vbi iniuste aliquis a potentiore opprimitur, vt eidem succurrant alii, non opus esse peculiari foedere, sed ex ipsa iam lege societatis omnes obligatos esse, vt oppresso succurrant, lacerdenterque inuadant. Tamefti enim 1) ex humanitatis lege quilibet obligatus sit, vt inique oppresso succurrat; ad hoc tamen iure stricte sic dicto & perfecto non obstringitur, adeoque nec iniuriam proprie facit ei, qui auxilium eius frustra implorat. vid. GROT. *L. II. de I. B. & P. c. 28. §. 7.* 2) officiorum, quae ex humanitate debentur, tam laxa est natura, vt facile, vel propriae necessitatis & indigentiae, vel imminentis periculi & impotentiae obtentur, aliisque de causis declinari possint. Opus igitur est foedere, vt quod laxum est & indeterminatum in officio humanitatis, ad terminos liquidi reducatur & determinetur. 3) Quando alter iniuste ab altero opprimitur, sumus quidem per humanitatem obligati, vt, quantum in nobis est, dissidia illa, amica nostra interpositione, aut per viam mediationis, componamus; non vero, vt aggressorem ipsi inuadamus, nosque alieni periculi comites adjungamus. Hoc igitur, vt fiat, opus est peculiari foedere. confer. Celeberrimus TREVERVS in not. ad *Puf. Libell. de*

O. H.

O. H. & C. c. 5. p. 144. Et quamvis 4) etiam absque obli-  
gatione foederati aliquis possit, actu communem humani-  
tatem supergresso, pro libertate aliorum bella gerere, & in-  
uadere iniustum eorum aggressorem : tamen ne sic qui-  
dem communii omnium utilitati satis omnino prospectum  
videbatur. Quid enim si tam generosus auxiliator, proue-  
nceps est & ambigua alea belli, ipse aciem perdat & suc-  
cumbat aggressori? Aut ponamus, liberari hac vice a pe-  
ticulo innocentem. Numquid aliis, ab insidiis tam turbu-  
lenti Principis ultra ius fasque exorbitantis, satis propterea  
erit cautum? Non credo. Quin potius hoc loco cedere  
coactus, in alium iniquam aciem conuertat aggressor, iam  
eo magis omnibus metuendus, quo magis recte agere, &  
celare consilia, ac fructu proprii dispendii callidus, concep-  
tant spem in commodiorem occasionem differre didicit.  
Ne igitur, dum singuli sub iugum mittuntur, vniuersi per-  
eant, aliud remedium non supereft, quam ut potenti foe-  
dere plures coeant, & coniunctis viribus, tam inquis vnius  
ausis se opponant.

### §. XXII.

Tametsi vero in Imperio nostro, sub cuius protectio- De Principi-  
ne Status singuli ab inquis aliorum oppressionibus tuti esse bus Imperii  
debeant, prudenter constitutum reperiatur, vt si quis con- disquiritur,  
tra pacem publicam de facto inuadatur, non tantum ipse an si quo-  
bellum a fe propulsare possit, sed ceteri quoque Imperii que vnde sit,  
Status, tanquam vnius corporis Consociati, laetio succurre- or huiusmo-  
re, & laudentem ad officium colendamque pacem, armis re- di foederis  
ducere teneantur. Rec. Imp. an. 1555. 5. Nachdem aber accedant, eo  
ibi: Das ein jeder Chur-Fürst / Fürst und Stand / in quod iam  
guter Bereitschaft sitze / auch in seinen Fürstenthümern / ganz sub com-  
Landen/ Herrschaften/ Dörflkeiten und Gebieten/ solche  
embige Vorsicht thue / das Er und die Seinen dann  
noch Imperiali.

moch dermassen gefasst/ damit Sie sich unverschens Überfalls selbst etwas zu entschütten/ und sich ein jeder dermassen mit den Seinen anzusiedeln/ und in die Sache zu richten/ auf daß Er und die Seinen in solchen Nothsälen zusammen lauffen / und Versammlungen eines jeden Kriegsvolks/ seinen Benachbarten förderliche und fröhliche Rettung leisten/ und thun/ und wieder von andern tröstlichen Beystand und Entsalzung erwarten möge &c. add. Instr. Pacis Caef. Suec. Art. 17. §. 6. Instr. Pacis Caef. Gall. §. 116-117. Friedens-Execution-Haupt. Recess. §. 3. conf. STRYK. de via facti Princip. c. 2 §. 16. Tamen, quia nexus in Imperio, summo publicae rei nocumento, adeo laxus est, ut obligatio illa Statuum, Con-Statibus suis succurrendi, eosque ab imminente oppressione, coniunctis cum oppreso viribus, liberandi, fere intra humanitatem relicta esse videatur; patet, ipsis quoque Statibus Imperii, vt in casu imminentis periculi valido foedere connectantur, non vtile modo, sed & plane necessarium esse. vid. LVDOLPH. HVGO de Statu Reg. Germ. L. III. §. 15. Quod & probant non tantum pacta confraternitatis inter tot Principes Imperii inita, sed aliae quoque confoederationes Statuum olim & nunc visitatae, de quibus occupantur passim Scriptores Iuris publici.

## §. XXIII.

*Eis obserua-*  
*tio in lau-*  
*dem Sacra-*  
*tissimi impe-*  
*ratiorum &*  
*Regis An-*  
*gliae.*

Opus igitur est foedere, quo ii, quos vel studium pacis connectit vel metus potentioris, ac quorum intercurunt communes vtilitates, occasionibus bellorum e longinquo praeuisis, obicem in tempore ponant, & opposito iusto virium aequilibrio, ambitiosum vnius arbitrium & dominandi libidinem infringant. Et est id omnino diuinae prouidentiae ac in homines benignitatis singulare documentum, vt quoties praepotens ac ambitiosus Princeps, egredi fines

fines suos, & publicam tranquillitatem Europae turbare intentit, toties vicissim alios excitet, qui, vel iustis viribus suffulti, pacis tantum studio, alieni nihil appetunt; vel metu potentioris, pacis tuendae consilia fouent. Quibus omnibus valido foedere connexis, iustum omnino aequi- pondium etiam potentissimo cuique turbatori opponere possunt. De Sacratissimo Imperatore nostro res ipsa loquitur, qui dum ad inuidiam usque potens est & bello felix, tantum tamen a turbis in Europa excitandis abhorret, ut sola publicae tranquillitatis causa, solo pacis tuendae studio, paterno aucto que regno opulentissimo, Hispaniarum iustissimo titulo, renunciare sit paratus. Quo intuitu dignus est, qui vniuersali isti omnium Christianorum societati, per tot regna & ciuitates diffusae, velut Imperator & aequissimus director praefideat, auctoritatemque suam & mediationem ubique in Sacro illo Imperio Vniuersali praecipuo quodam iure interponat. Et Anglorum quoque haec propria velut laus est, ac longo inde tempore quaefita gloria. Hinc & quicunque unquam tentauit Monarchiam erigere vniuersalem, & aliorum quieti insidiari, serius ocios, maximum ab Anglia inuenit sufflamen. Atque huic tam gloriose ipsorum instituto insistit quoque hodie potentissimus Angliae Rex GEORGIVS, qui vigilantissimis oculis undique per Europam conuersis, diuina virtute & consilio, bellorum occasiones intercipit, foedera pro securitate Europae pangit, iustoque plurium aequi- pondio, unius ambitionis ausis, in tempore opposito, disunctissimis quoque terris opera sua concordiam reddit, pacis per vniuersam Europam Procurator, & certissimus quietis publicae conciliator. Quo nomine maiorem dignitatem & gloriam consequitur; quam si *Regum Gentiumque arbiter* inuidioso inter Gentes vocabulo salutaretur.

§. XXIV.

## §. XXIV.

*Agitur de  
subiecto acti-  
uo & passiu-  
o huiusmodi  
foederum.*

Huiusmodi foedera pro communi utilitate & tran-  
quillitate omnium, ac tuendo aequilibrio Europae, pan-  
gere possunt omnes, qui rebus publicis cum imperio pree-  
fecti sunt, coque iurum Maiestaticorum exercitium ha-  
bent, ac in rebus Europae momentum aliquod non leue  
conferre possunt. Et in Imperio quidem nostro Impera-  
torem cum consensu & approbatione Statuum tales Socie-  
tates nomine Imperii inire posse, patet ex *Instrum. Pac. art. 8.*  
*& gaudent. & Capitalat. Caroli VI. art. 6.* Videant modo Ci-  
uitatum Rectores, & rationes prudenter ineant, qua par-  
te proprie propendeat statera Europae, & quis demum  
quietem publicam non turbare modo possit, potentia sua  
& viribus fretus, sed quis maxime nocere velit, ac peruer-  
sam voluntatis inclinationem ostendat. Aduersus hunc  
sanctissima foedera pangenda, non alios. Dux Andega-  
uenis, cum haud ita pridem pacem pro Italia factam ini-  
quissime violasset, vt Batauos ad suas partes pelliceret,  
aut saltim a foedere cum Imperatore, Gallis & Anglis in-  
eundo distraheret, per Legatum suum Beretti Landi, multis  
sed inuenustis rationibus persuadere voluit, Caesarem es-  
se, cuius vnius potentia ceteris omnibus esset formidabilis.  
Verba eius, in Memoriali Statibus Belgii die 21. Septembr.  
1717. oblato, secundum exemplar Germanicum, quod  
exhibit *Electa Jur. publ. T. XI. p. 837 seq.* ita sunt concepta:  
Dieses aequilibrium ist der Grund des letzten Kriegs ge-  
wesen. Seine Majestät bitten zu überlegen / ob es  
wahr sey / daß das aequilibrium dadurch erhalten wor-  
den / und Sie nicht vielmehr Beitrag / zu Vermehrung  
der Macht eines Prinzen / gehau / der wegen seiner  
Staats-Ränke / nicht anders als das interesse seiner  
Vergrößerung zum Ziel hat / und der wie es scheint /  
durch

durchgehends wenig Schwierigkeit machen wird / selbst  
an denjenigen den Anfang zu machen/ denen Er am meis-  
sten verbunden ist. Sed benignior omnino & iustior fuit  
Gallorum atque Anglorum sententia, quibus aequa Inui-  
ctissimi Caesaris propensio incognita esse non debuit. Te  
vero non decebat Laudi, tam indigna & inconsulta  
assertione Caesarem proscindere. Caesar amore pacis  
ac tranquillitatis paratus est patrio aucto que regno cede-  
re. Is pro communi incolumente, otio, & concordia  
omnium, se suasque fortunas omnes deuouit, nec un-  
quam rationes suas publicae tranquillitati anteposuit, quia  
pro quiete publica cum quoconque foedera inire paratus  
est. Vnde nec turbare pacem, nec aequilibrium Europae  
vniquam concutere voluisse, iudicio foederatorum, bo-  
norum testimonio, confessione inimicorum, consensu de-  
nique vniuersi orbis terrarum & suffragio reputabitur.

## §. XXV.

Cum vero & ipsis Statibus Imperii separatim confi-  
deratis, qui saepe non contemnda potentia pollut, ius  
pangendorum foederum non solum inter se, sed & cum  
exteris generatim concessum sit, *Instrum. Pac. art. 8. §*  
gandeant, verb. *Cumprimis vero & Cap. CAKOLI VI. art. 6.*  
modo foedera non cedant in Imperii detrimentum, ac Im-  
perator cum Imperio in iis semper excipiat; dubium nul-  
lum est, quin possint quoque Status eiusmodi foederi, quod  
pro communi Gentium utilitate & tranquillitate initum est,  
libere accedere, quod exempla iam supra a nobis allegata ul-  
terius confirmant.add. CAESAR FVRSTENER de Suprem.

c. 21. 22. Est celebris Jurispubl. Doctor, & magnum quondam  
in Germania nomen LVDOLPHVS HVGO, qui in Tr.  
de Status Regionum Germ. c. 3. §. 15. 16. hanc ipsam facultatem  
Statuum inter defectus Imperii nostri referre non dubitat,

F

propte-

*Queritur  
an & Statut  
Imperi &  
quomodo hu-  
iusmodi foed-  
eri accedere  
possint, ubi  
Gallorum  
aristici de-  
teguntur,  
distrabendi  
Status in di-  
verja studiis.*

propterea, quod Status satis praesidii ab ipso Imperio, &  
 nexu eius vniuersali, sub quo continentur, habere, nec  
 demum ad auxilia exterorum principum confugere debe-  
 rent, maxime, cum ad sint exempla sat multa, foederum, a  
 Statibus contractorum, quae sub specie communis tranquil-  
 litatis propriaeque conseruationis, Imperium ipsum magno  
 numento affecerunt. Quo intuitu olim eiusmodi quo-  
 que foedera cum exteris pangere Statibus prohibitum legi-  
 tur, in der Handhabung des Land-Friedens zu Worms  
 An. 1495. §. 5. Verum, quoniam nunc forma reipublicae  
 nostrae aliter constituta est, gaudent principes hoc iure  
 suo; sed ne in detrimentum Imperii cedat, maximopere  
 caveant. Vetus est id artificium Gallorum, qui dum aliis  
 sua eripere cupiunt, Statuum coniunctionem omni sem-  
 per conatu impediuerunt, ac vt vnum dundaxat hostem  
 haberent, quamdiu cum hoc armis decertarent, aliis pro-  
 missione foederum, blanditis & amicitiae imitamentis il-  
 ludere pulchrum semper duxerunt, donec & hos oppri-  
 mendi occasionem nanciserentur. Tametsi igitur non  
 rara sunt exempla foederum cum Gallo a Statibus initio-  
 rum, & solus IO. BODINVS meiniisse se scribit L. 1. de  
 Republ. c. 9. p. m. 185. quadraginta septem foedera, in quae Reges  
 nostri Philippus V. VI. VII. & Ludouicu XI. cum Germaniae  
 Principibus coierunt: caueant tamen Status, ne sub spe-  
 cioso praetextu & magnis pollicitationibus se patientur de-  
 flecti ab Imperio, nec rationes suas facile separatas ab Im-  
 perii rationibus ineant. Quod in hac ipsa materia, vbi  
 de constituendo totius Europae aequilibrio & conseruanda  
 pace vniuersali quaestio est, quam maxime obseruandum,  
 ne scilicet Status falsa specie ad turbandam Imperii tran-  
 quillitatem abutantur, nec ad moderandam vniuersi in Im-  
 perio potentiam, inauspicata cum exteris foedera ineant.

§. XXVI.

## §. XXVI.

Quodsi tamen eorum aliquid a Statuum aliquo suscipiatur, dubium nullum est quin possit is per Imperium ab eiusmodi infausto foedere revocari, & ad communia cum Con-Statibus Consilia amplectenda, vel saltim ad obseruandam ~~adieφοραν~~ politicam, durioribus quoque & coactius remediis adigi & constringi, vt non semel, hoc nostro demum seculo factum fuisse nouimus vid. FABRI Staats-Cahley T. II. c. 5. Lettres Hist. 1702. & quae de milite medietatis custode non ita pridem in Comitiis acta refert, das Kaiserliche Commissions-Decret, dictatum Ratisbonae die 19. Ian. 1716. in Elect. Iur. publ. T. 10. p. 22 seqq. Neque id omnino sine ratione, ne quod prudenter in legibus Imperii constitutum est, contraria obseruantia Statuum, vt male hic Doctores nonnulli statuant, v. BRVNNEMAN. de foedere Statuum Imp. cum Extr. iterum abrogatum esse, perperam existimemus. Si enim Statibus non licet, posita quamvis iusta belli causa, bella contra exteriores suscipere, vbi periculum subest, ne imperium quoque simul turbis implicetur, vt recte docet Auctor Meditat. ad Capitul. Iosephi art. 13. p. 144. & p. 126. ad art. 10. & TITIVS in Specim. Iur. publ. L. 3. c. 8. §. 27. & ali. Et, si talia bella suscipientes ad consilia pacis revocari & adigi possunt, testante STRYCKIO de conscriben-  
do milite Imperiali. c. 2. §. 13. prout publice quoque in Imperio initas quondam fuisse rationes, componendi ad pacem v. gr. turbidi ingenii Episcopum Monasteriensem Christophorum Bernhardum Galanum, refert Pufendorf. L. X. Rer. Brandenburg. §. 9. add. Idem L. XI. §. 38. seqq. add. MVLTZI-  
VS in Corp. Iur. publ. Germ. P. II. c. s. n. 147 seqq. ibique alle-  
gati: sane ex eadem ratione poterit quoque Status Imperii ab infelici & turbulentio foedere retrahi & detineri,

*Modus re-  
vocandi Sta-  
tus ad offici-  
eationes.*

propterea, quod per foedera ad bellicam necessitatem proximus fit progressus, & quia, quod prohibitum est in terminis, prohibitum quoque censetur in via. add. §. 29.  
infra.

## §. XXVII.

*Coalito foedere, possunt nullum habet, quin foederati auertendo communi periculo omnia innoxia admicula iuste adhibere possint, quae contra actualē belli illationem, pacem & tranquillitatem procurare apta sunt. Pacis incundas consilia belligerantibus suppeditant, suamque offerunt mediationem, & gabere, quaa riantiae fponctionem promittunt, proprias suas vtilitates & citra actualē necessitates intercurrentes esse demonstrant; & ne imparationem bellī ille inueniantur, domi suae, conscriptis militibus, & fortalitiis suis ad defenderidum dispositis, ipsi quoque armaz parant, viresque cominus ostendunt. Haec enim omnia, citra laefionem alterius ad nostram securitatem liceat scipiuntur v. GROTIUS L. I. de I. B. P. c. I. §. 17 seqq. c. 22. §. 5. Et sane, si nihil aliud contineret confitmatum nuper foederatorum Principum pactum, quo rato plurium foedere Lancem Europæ conseruare, & ambitiosum vinis Andegauensis coercentes arbitrium, iustum Statuum aequilibrium ponere, laudabili instituto contendunt, foret id ab omni obrectatione vacuum. Verum, dum & arma inferunt petulanti pacis insidiatori, & quod magis est, pro obtainenda tranquillitate publica, vt illi quidem interpretantur, regna & prouincias alienas, ceu victimas pacis, cedunt ac transferunt, liberos populos bello commissos, quamvis invitatos & reluctantates ad pacem adiungunt; quin de futuris quoque successionibus ex publica vtilitate disponunt, spredo succedendi iure singulorum, & ipsius consensu possessoris, adhuc dum inter viuos existentis: hinc sane*

sane dubium videtur, an non idem hoc sit, quam alieno dispendio publicam utilitatem redimere, aut, quod dicitur, de alieno corio ludere, & bella ex utilitate suscipere, qualia per se ius nullum tribueret nos quoque non semel diximus. Tametsi vero alias semper pro piaculo mihi fuit, de potestate eorum disputare, qui amputare possunt, & de potestatis suae exercitio nulli mortalium, sed soli D E O , ad reddendas rationes obstringuntur: tamen, cum acquisissimum istud foederatorum Principum institutum aliorum interpretando trahi, quin publice poscindi, aut saltim in dubium vocari videam, mihi sane haut quamquam vicio verti poterit, vbi illud, debito suo fundamento superstructum, ab obiectionibus quoque aduersariorum hac disputatione Academica vindicauero, siueque integratam publice restituero.

### §. XXVIII.

Qua in re id statim frustra nobis obiciunt nonnulli, Remouentur  
dubium.  
nefas esse, vlo modo diuinac prouidentiae refragari, cum nec vlo artificio politico vel humanis opibus subuerti queat, quod diuina voluntate aeternaque lege constitutum est. Id vero foederatos agere, dum auctam fortunae beneficio alterius potentiam modis omnibus infingunt, eidemque fuisse iniiciunt. Etenim, dum imminentia a potentiore periculum, humano consilio, & singulari prudentia Foederati depellunt, non id sane agunt, vt aduersus diuinum decretum, quicquam vel viribus valere, vel proficere posse videantur, id enim, quis de homine, cui vel sanum sincipit est, suspicari vellet? verum, sicut & alia multa permittit D E V S , quibus tamen, vt humano consilio obuiam eatur, non vetat; ita, si, permittente D E O , unus potentior, iniquum Europae arbitrium sibi soli arroget, omniumque tranquillitati insidietur,

dubium non est, quin foederati quoque, ex sua parte, possint, pro conseruanda pace naturali, propriaque securitate, qualiacunque remedia adhibere, modo licita & honesta ac ad hunc finem obtinendum ordinata. Interim humana haec prudentia est, quam infinitis modis superat, saepiusque confundit sapientia & omnipotentia diuina, de qua non satis digne iudicant, qui eidem, qualicunque humano foedere, licet potenti & ad inuidiam usque porrecto, compedes & remoram iniici posse existimant. Ludit in humanis diuina potentia rebus, eademque & aequilibrio Europae, tam potenti alioquin, tamque egregio pacis & tranquillitatis nomine nobis blandienti foederi, potentiae suae & durationis terminos ex arbitrio ponit.

## §. XXIX.

*Maior dubi-  
ratio est, an  
& in iste bel-  
lum inferre  
possint ei,  
quem publi-  
cae tran-  
quillitati in-  
sidiari iudi-  
caverint, an  
tequam in-  
nocenti pro-  
positum ad  
effectum per-  
ducere potu-  
erit?*

*AN ET IUSTE BEL-  
LUM INFERRE POSSINT FOEDERATI, EI,  
QVEM PUBLICAE TRANQUILLITATI INSIDIA-  
RI IUDICAVERINT?* Cum ob metum ab altero conceptum nihil amplius ad suam securitatem iuste suscipere posse videantur, quam, quod diximus, ut innoxia quaesique munimenta sibi circumponant, sine tamen actuali alterius laesione. In qua quaestione, quod notandum, non illud quaeritur, an excrescens alterius potentia, propter quam metum foederati concipiunt, sola iisdem iustum bellum causam tribuat? Periculum enim ex alterius potentia, in illos quidem redundare potest, non tamen semper actu redundat, quin metus inde conceptus, per se, & nisi alia signa acceferint, moraliter adhuc incertus est. Vnde in eos, qui vanis suspicionibus adducti alios inuadunt, non male conuenit Vibii Crispi dictum, a QUINTILIANO laudatum: *Quis tibi sic timere permisit?* Cum enim non dubitatio, sed scientia fundamentum esse debeat, quo nitiatur

titur consilium efficax agendi, hactenus iniquum esse videbatur, ob solum metum imminentis periculi, vanis fors conjecturis & suspicionibus subnixum, bello impugnare praepotentem vicinum, ideo, quia ius eius, ut Grotius dixit, metu tuo non tollitur. Alias inter potentes & aemulos Principes perpetuo iusta forent bella, & posset quilibet, simulato metu ex fictis periculis, ad opprimendos alios vti, & bellicam necessitatem facinoribus suis praetexere. Verebatur & olim Italia, ne, si Hispanus Insubria, Regnoque Neapolitano, & Siculo potiretur, tota simul sub iugum mitteretur. Potitus est Hispanus, & tamen ultra ducentos annos, Italia iucibili, & nunquam ante experta sibi felicitate gauisa est. Adeo non semper familiac alicuius magnitudo, seu excrescens potentia, aliorum est oppressio: nec semper legitimum bellum, quod obmetum, ex vicini potentia conceptum, geritur.

## §. XXX.

Alia autem quaestio est, eaque proprie huc pertinet: Si quis propter potentiam, qua pollet, animum quoque conceperit, nos vel foederatos nostros inuadendi, eamque nocendi voluntatem adeo luculenter declarauerit, vt metus inde conceptus morali aestimatione certus sit, annon tum saltim nobis liceat, statim violentam nostri defensionem auspicari, & noxam nobis adparantem occupare potius, quam vt ab eodem praeueniamur, pri-  
mumque ictum excipiamus? Ad quam merito affirmatiue respondemus, non quidem ex principiis Hobbianis, ac statu naturali per se bellicoso, aut ex iure omnium in omnia, quoties ysus & utilitas id exigit, valido, licet nulla alia belli causa accedat, sed melioribus omnino imbuti principiis & freti auctoritate ipsius GROTI de I. B. & P.  
*L. II.*

*Continuitur  
eadem ma-  
teria.*

**L II. c. 22. §. 5. PVFENDORFFII de O. H. & C. L. I. c. 5.**  
**§. 15. & STRAVCHII Exercit. 9. th. vlt.**

## §. XXXI.

*Continua-  
tur endem.*

Licet enim bellum non semper sit iustum piumque publicae tranquillitatis procurandae remedium; tunc tam saltim licitum erit, vbi lenioribus mediis reiectis, nulla ratione euitari potuit, sed ex hypothesi necessitatis, ne ipsi pereant, foederatis fuit impositum. Neque enim ad defensionem semper requiritur primum ictum excipere, quia non sola ea laetio est dicenda, quae ante pedes est, sed & illa, quae in futurum quamvis concepta, moraliter tamen certa est. Nam vbi alter voluntatem nobis nocendi liquide exprimit, is sane aperte nunc pro aggressore habendus, ac ineptus valde Politicus is futurus erat, qui in tam iusta causa constituto & ad pugnandum composito suaderet, vt mutato corporis positu, dorsum prius suum hosti verberandum patienter praeverberet, ac defensionem suam in id tempus reiceret, quo deinde morali aestimatio impossibilis futura esset, h. e. vt post exitum demum vindicare offensam vellet. Quin vti inter Gentes maxime locum habet, quod GAIUS ICtus ait, *in L. 4. ff. ad L. Aquil. Aduersus periculum naturalis ratio permitit se defendere: ita honestissima quoque Gentibus ratio, & consilium optimum semper habitum fuit, in tempore ferire, & noxam nobis adparantem occupare potius & praeuertere, quam vt ab eodem ptaeuemiamur.* Hoc enim in casu haec nobis proposita fors est, aut occidere, si occupaueris, aut occumbere, si cessaueris, quod de Gladiatore ad pugnam composito scriptum reliquit GELLIVS *L. VII. N. A. c. 3.* cum contra irruentem iam hostem vel idoneae copiae haud subito parari possint, vel saltim cum successu subito in aciem produci nequeant. Quod prudenter olim perpen-

perpendit PHILIPPVS Magnanimus Hassiae Landgrauius,  
 cum foedus Sueicum, aduersus se sociosque suos conce-  
 ptum, praeuenire intenderet, peculiaribus literis eam ob  
 rem emissis, apud STRAVCH. in *Controv. Illust. Dissert. 9,*  
*in fin.* vbi talia leguntur: Und wir denn mit unseren in  
 der Gefahr s̄ich/wenn unsere Widerwärtige ihren Vor-  
 theil erschen/ daß sie bemeldten unsrem Oheim/ den  
 Chur-Fürsten von Sachsen/ und uns mit der stärkesten  
 und größten Macht überziehen/ also des Backenschlags/  
 Verzagung von Land und Leutheu täglich gewarten  
 müssen; So achten Wir/ ein jeder Frommer/ so Ver-  
 stand hat/ und unpartheyischen redlichen Gemüths ist/  
 werde in Betrachtung des/ daß in natürlichen und bes-  
 schriebenen Rechten/ auch darum in dem Kaiserlichen  
 Land Frieden/ die Noth- und Gegenwehr nicht venomis-  
 men ist/ leichtlich ermessen/ und nicht unbilligen kön-  
 nen/ gegen ein solchen geschwind Bündniss und Für-  
 nehmnen/ Unsere Noth und Gegenwehr in der Zeit also  
 fürzunehmen/ daß Wir den unchristlichen und unrech-  
 ten Gewalt/ der von unerhörter Sache begegnen soll/  
 aufhalten/ und die Unsern bey Gleich und Recht bes-  
 schirmen mögen. In eo igitur non sunt censendi aggres-  
 sores Foederati, qui vt tuto in otio & quiete esse possint,  
 iuste quoque bellum suscipere poterant, vt in simili ma-  
 teria THEMISTIVS loquitur *Orat 10.* Quorū & spectat  
 illud LIVII 8. *Iustum bellum, quibus necessarium, & pia ar-  
 ma, quibus nulla nisi in arms relinqitur ipses.* Idque foede-  
 rati prudenter in ipsis tabulis foederis, contra Gallum &  
 Hispanum An. 1701. initi, apud LVNIG Part. Spec. Ar-  
 chiv. Imp. p. 185. his verbis exprimunt: *Cumque tom aneps  
 rerum constitutio ipso bello periculostior sit, & hoc verum statue  
 Gallia ac Hispania abutantur, ut magis & magu inter se de-*

G

ninciant,

trahiant, ad opprimendam Europae libertatem, & tollendum commerciorum usum, his rationibus adducti, Sacra sua Caesarea Majestas, Sacra sua Regia Majestas Magnae Britanniae, & Celsi ac praeponentes Domini Ordines Generales Vniti Belgii, tantis malis hinc surrecturis obuiam tendentes, & pro viribus remedia afferre cupientes, arctam inter se coniunctionem & confederationem, pro depellenda communis periculi magnitudine, necessarium esse existimauerunt, & hunc in finem mandatis suis instruxerunt &c. conf. ad hanc materiam GVNDLINGIVS Vir Illustr. in Diff. de Status Nat. Hobbiano. Idemque Tom. III. otiorum cap. 5. iunct. Diff. STALKOPFII Gryphisu. 1711. habita, quam Gundlingio opposuit; quorum tamen sententiae, ex his quae dicta sunt, conciliari possunt.

## §. XXXII.

*Et eo luculentius apparet iustitia vltimi belli, ex foedere contra Hispanum feliciter confecti, subiiciamus breuem eius narrationem historicam. Nouimus autem bellum ex foedere contra Hispanum, quoniam optimis fundamentis Caesar sibi ius in Monarchiam Hispanicam afferat. Quae res quoque totius fere Europae Statuum animos & vires eidem adeo coniuncti, ut nullum unquam foedus sanctius potenter reddidit, vt nullum unquam sanctius potenter fuisse historia celebret, quam quod pro eripienda Andegauensi Hispania sub initium huius seculi a foederatis sanctum fuit. Faut quoque tam iustae causae fortunae indulgentia propemodum incomparabilis. Re que eam deducta erat, ut LUDOVICVS XIV. Galliae Rex tanto bello vterius gerendo impar, pro obtinenda a foederatis pace, iam in duram illam conditionem consensisset, reuocandi domum ex Hispania Nepotis. Nec dubium est, quin ad exitum quoque perductum negotium ac Monarchia Hispanica Austriacis demum vindicata fuisset, nisi praematura mors optimum Imperatorem IOSEPHVM*

PHVM e vita heu abstulisset, Imperiumque Romanum, Procerum Germaniae electione, legitimo Hispaniae Regi CAROLO obtulisset. Tum foederati, quieti Europae minus consultum existimantes, vt Imperium Romanum ac tot terrarum regnorumque hereditariorum latifundia, cum Monarchia Hispanica, sub vno Caesare coniungerentur, velut mutato nunc rerum statu, a foedere paulatim desciuerunt, inita cum Gallo pace particulari. Nec dum Caesar Hispaniarum obliuisci aut iuri suo renunciare potuit: quin vbi iam a foederatis destitutus esset, eiusque res paulo coepissent inclinari, Landauia & Friburgo a Gallo captis, pacem quidem & ipse Caesar cum Gallo pepergit, sed Andegauensem pro Rege Hispaniae agnoscere, cum eoque pacis conditiones inire constanter recusavit. Ceterum tanto bello feliciter confiendo solus iam impar Caesar, peculiari Tractatu, die 14 Martii 1713. concluso, Cataloniae omnem, quam cum expedita militum manu adhuc tenuerat Caesar, se cessuram Andegauensi, copiasque suas abducturum promittit, pacta vicissim sibi pace pro Italia. Quod & in Pace Badensi denuo confirmat. Abducuntur e Catalonia armati, traduntur Andegauensi fortalitia, omniaque pacis capitula a Caesare sanctissime explentur. Iam quoque quae ab Andegauensi promissa fuerant, vicissim teruanda fuissent, & pax Itiae quae sita quam religiosissime custodienda. Interea tamen statu belli, quantum ad ipsam Hispaniam & Caesarem attinet, adhuc dum manente, eiusque prosecutione saltim in opportunius tempus referuata, Dux Andegauensis, nec satis securam ac diuturnam Europae pacem, nec sibi, quamuis ab Anglis & Bacavis per pacem Ultraiectanam pro Rege agnito, quietam Hispaniarum possessionem futuram cognoscens, nisi & pro legitimo Rege ab inuictissimo Caesare agnosceretur, in qualsunque

tane pacis conditiones libenter subscriptissit, aequo animo  
 latus, vt & Belgium Hispanicum & Regnum Neapolita-  
 num, cum Siculo, ac Ducatus Mediolanensis, a Regno suo  
 auellerentur, ac Caesari perpetuo Iure cederentur, mo-  
 do hic vicissim iure suo in residuum corpus Regni Hispani-  
 ei renunciare voluisset. Ita enim ad auum suum LVDOVI-  
 CVM XIV. die 16. Mai. 1713. sribit: *Vous iugeréz aisement,*  
*que la paix, dont tout le monde disire également la solidité,*  
*ne peut être stable, si l' Archiduc, qui m'a disputé la Couronne*  
*d' Espagne, ne m'en reconnoit le legitime Roy.* Et in alia  
 epistola, quae ad eundem Ludouicum XIV. d. 31. Jan. 1713.  
 data est, ita prosequitur: *Vous scaués, que j'ai rempli tous*  
*les Preliminaires, & que je suis prêt a consentir, que Naples,*  
*les Milanés, & les Pays bas restent a l' Archiduc, comme je*  
*l'ai fait de la Sicile en fauour du Duc de Sauoye, de Gibraltar*  
*& del' Isle de Minorque en fauour des Anglois, & que je suis*  
*aussi prêt a le faire de la Sardaigne en fauour del' Eleiteur de*  
*Bauiere. L' Archiduc doit, moyennant ces conditions renoncer*  
*à ce qui me reste de la Monarchie d' Espagne. Ainsi nous n'*  
*avons plus, ni luy ni moy rien à pretendre, l'un contre l' autre.*  
 Aliae eiusdem litterae die 17. 1714. ad eundem datae ita  
 habent: *Je me flatte, que connoissant, de quelle importance il*  
*est, de faire departir l' Archiduc de toutes pretensions, sur l'*  
*Espagne & les Indes, vous me mettréz en état d' établir des*  
*conditions solides, pour en jouir paisiblement.* \* Sed quamvis  
 hae conditiones Caesari a Gallo in pace Badensi denuo li-  
 beraliter offerrentur, tamen ne sic quidem Caesar eo per-  
 duci potuit, vt Hispaniam Andegauensi cederet, eumque  
 pro legitimo Hispaniarum Rege agnosceret.

s. XXXIII.

\* Reservuntur haec fragmenta epistolarum in Edicto publico, quo  
 bellum a potentissimo Galliarum Rege aduersus Andegauensem an-  
 no 1712. denunciabatur.

## §. XXXIII.

Interea & foederati non ignari pacem Europae multo humano sanguine quaesitam haud sane diurnam, quin perpetuam comparationem noui belli futuram, in exitium totius Europae iterum prorupturam, quamdiu Dux Andegauensis, accedente renunciatione Caesaris, in regno Hispaniae non esset confirmatus, id nunc agunt omni studio, ut Caesarem eo perducerent, quo flecti hactenus nulla ratione potuerat. Successit res ex voto, multisque foederatorum, & Angli cum primis sollicitationibus, tum & accedente temporis mora, victus Caesar consentit, stipulataque sibi Sicilia, quam Sabaudus tenuerat, Andegauensem pro legitimo Hispaniarum Rege agnoscit, suis iuribus renunciat, atque sic, quod omnium & praecipue Hispani ipsius votis dudum expeditum fuerat, Europae securam pacem, & Hispano tranquillam possessionem sui regni pollicetur. Quis non existimat Hispanum has conditiones ex osculaturum & foederatis tam solerter nauatae operae gratias non vulgares habiturum. Et tamen is nunc prauis Alberoni consiliis seductus pacem respuit; foedus & amicitiam, heu nefas, cum ipsis Turcis aduersus Caesarum init; contra tabulas pacis, pro Italia singulariter confectae, bellum Siciliae & Sardiniae parat; nec moritus a foederatis, ac semel iterumque rogatus, a prauo conatu deflecti potuit. Quis aliter nunc iudicaret, quam Hispanum tranquillati Europae, tam multo Christiano cruore partae non tam petulanter insidiari, quam potius ipso hoc facto eandem infringere, hostilemque animum suum foederatis iam sufficienter declarasse, in se ipsum iniquum, quod ancipiti fortunae belli regnum suum praeter necessitatem exponat. Nec satis habuit Andegauensis, bello Caesarum tam inique denuo prouocasse, nisi simul causas

in Caesarem reiiceret. Prodiit itaque *Epistola Secretarii Status Hispanici Grimaldi*; prodiit *Beretti Landi* ad potentissimos ordines foederati Belgii Legati *Memoriae*: quibus uterque irruptionis in Italiam factae ipsum Caesarem causam praestitisse, audacia singulari & vere Thrasonica gloriantur; sed argumentis adeo infirmis ac nullius roboris, adeo fictis, quin aperte fallis vtuntur, vt nisi inimica mente scripsissent Hispani, pudere eos omnino oportuisset editi in lucem libelli, tam pleni ruris & inficetiae. Quare ex merito quoque depexi sunt a parte Caesaris in scripto publico, quod exhibetur in *Electis Iur. Publ. T. XII. p. 946. seqq.* Dum haec ita aguntur, Foederati, vt fatale bellum prouida cura a tota Europa auertant, denuo speciale foedus pro communi utilitate inceunt, & Hispanum, qui non solum hostilem iam animum declarauerat, sed nocendi quoque facultatem plane expromferat, occupant quidem & ex foedere praeueniunt, non tamen aduersus eum rigido iure belli vsuri, sed ea benignitate & aequitate, vt eum, quamvis reluctantem & pertinaciter in se ipsum iniurium, adhuc dum in regno suo confirmatum eant, quin nihil quicquam, quod bello occupassent, sibi retenturos ex foedere promittant. Quis nunc dubitaret insolentiam Hispani a foederatis sociali bello austissime usuisse repressam: quis non admiraretur potius tantam in foederatis moderationem, tantumque publicae utilitatis studium. Quod vt eo clarius patescat, inseramus ipsas foederis tabulis Londini, anno 1717. pactas, quibus ceu aequissimo fundamento aequilibrii Europae hodie innititur.

## §. XXXIV.

*Referuntur  
aequissimo  
foederis ipsae  
Luy, que pour ses heretiers descendans, & successeurs  
masles*

masles & femelles, à la Monarchie d' Espagne & des Indes, & à tous les Etats, dont le Roy Catholique a été reconnu legitime possesseur par le Ttaité d' Utrecht; & il s' engage de fournir dans la meilleure forme les Actes de Renonciation nécessaires. 2) Les successions aux Etats du Dux de Parme & du grand Duc de Toscane pouuant exerciter des grandes contestations & vne nouvelle Guerre en Italie, parce que la Reine d' Espagne pretend y être appellée par sa naissance, & que l' Empereur soutient, que le droit d'en disposer au defaut d' heretiers mâles, luy appartient, & à l' Empire; Il a été stipulé, que ces successions venant à vaquer par la mort des Princes possesseurs sans heretiers masles, le fils de la Reine & ses descendans mâles; en leur defaut le second fils, & les autres cadets de la dite Reine, avec leurs descendans mâles succederont dans tous les dits Etats, qui seront reconnis fiefs masculins mouuans del' Empire, & qu' il en sera donné au Fils de la Reine qui deura succeder, des lettres d' expectatiue, contenant l' Inuestiture euentuelle. Et pour seurete d' l' execution de cette disposition, il doit etre établi par les Cantons Suisses, des Garnisons dans les principales Places de ces deux Etats, sçauoir à Liourne à Porto Ferrao, à Parme & à Plaisance, à la solde des Mediateurs, avec serment, de les garder & deffendre sous l' autorité des Princes regnans, & ne les remettre qu' au Prince fils de la Reine d' Espagne, lorsque ces successions seront ouvertes. 3) Il a été stipulé que jamais, ni en aucun cas l' Empereur, ni acun Prince de la Maison d' Autriche, qui possedera les Royaumes, Provinces & Etats d' Italie, ne pourra s' approprier les Etats de Toscane & de Parme. 4) Comme il n' a pas été possible d' engager l' Empereur, a se desister des Pretensions qu' il a touiuors conferuées sur la Sicile, il a été reglé qu' Elle:

Elle seroit cedée a ce Prince, qui de sa part cederoit au Roy de Sicile, par forme d'equivalent, le Royaume de Sardaigne, en reseruant, au Roy d'Espagne sur ce même Royaume le droit de reuersion a sa couronne, qu'il s'étoit réservé sur la Sicile; par L'Acte de cession, qu'il en auoit faite en consequence des Traites d'Utrecht. 5) On a laissé au Roy d'Espagne un terme de trois mois, du jour de la signature du Traité, pour accepter les conditions, qui luy ont été offertes, que toutes les Parties contractantes garantissent & s'engagent à faire executer. 6) Comme il ne seroit pas iuste, que la Paix de l'Europe dépendit de l'opiniatreté ou des veuës particulières, d'une ou de deux seules Puissances, & que l'Empereur n'auroit pas pu se porter, a delivrer sa Renonciation, auant, que le Roy d'Espagne eût accédé au Traité, si on ne luy auoit donné d'ailleurs quelque autre surtéte, les Parties Contractantes sont conuenuës, de joindre leurs forces, pour obliger le Prince refusant l'acceptation de la Paix, conformement a ce qui a été souuent pratiqué, pour le repos public, dans des occasions importantes. 7) On est conuenu expressément, que, si les Puisances contractantes étoient obligées, d'en venir aux voyes de fait, contre celuy, qui refuseroit d'accepter l'accommodement proposé, l'Empereur se conteroit des auantages, stipulés pour luy dans ce Traité, quelque succes que pussent auoir les Armes. 8) Enfin le Roy s'est engagé d'obtenir pour le Roy d'Espagne la restitution de Gibraltar. Hae sunt aequissimae illae foederis conditiones, tranquillitatis Europæ eiusque aequilibrii fundamentum, quas tanto fastu Hispanus, propriae vtilitatis negligens, contemnit, arma parat, classem instruit, nocendique voluntatem coninus ostendit, quin & bellum ipsum Sardiniae ac Siciliae infert. Quotus quisque est nostrum quin teneatur fateri, iustissime Hispa-

Hispanum a foederatis occupatum & ad aequilibrii recipiendi terminos suisse redactum?

§. XXXV.

Nec obstat his quae dicta sunt, Gallos saltim & Anglos inique se huic bello immiscesse. Caesarem enim operit Andegauenfis aut Sabaudum, quid vero hoc ad Anglos aut Gallos, qui in liberas Gentes imperium iudicium que nullum habent? Iam per hoc latus quidem & ipsi omnino petebantur, suisque vtilitatibus illorum diffidia intercedebant: quin & ita connexae sunt plerumq; res Europae, vt vbi duo bello implicantur potentiores & vicini populi, tertio neutrō esse tuto haud liceat, vnde tam rara quoque felicis  $\alpha\delta.\alpha\phi\beta\eta\gamma.$  politicae exempla. Sed haec sola intercurrentis vtilitas ad ius belli non sufficit, per ea, quae §.11. diximus. Igitur, ne in hoc tam periculooso rerum suarum positu, vel Caesaris partes aduersus Hispanum, vel huius aduersus Caesarem amplecti tenerentur, & vtroque casu vniuersale Europae bellum, vix dum coalita pactione compositum, iterum excitarent, medium aliud tutius simul ac iustius non sicut, quam vt ipsi foedus inirent, de tuenda Europae, ac Italiae cum primis tranquillitate, & ad illud quoque bello co[n]misiſas partes inuitarent; cui cum & Caesar accederet, solus vniuersalis tranquillitatis turbator restitit Andegauenfis. Hunc igitur inuadunt omnes, & iustitiae armorum suorum non proprias vtilitates praetexant, sed sanctissimum foedus cum Imperatore initium pro iusto fundamento allegant, quia, vt supra quoque diximus, Ius Gentium non vetat, nouas partes in bello facere, & belligerantium alterutri, pro suo cuiusque iure aut commodo, mediante foedere se adiungere: in qua re tamen adeo benigne & humaniter versantur Foederati, vt rigido & stricto iure belli aduersus Andegauenfem nullatenus experiantur, sed cum tantum ad accipendas tam honestas pacis conditiones, quas

H

ipse

*Formatur  
dubium, an  
non Galli  
saltim &  
Angli se ini-  
que bello ad-  
uerſus Ande-  
gauenfem  
immisces-  
runt quoni-  
am ſolum  
Caesarem  
hic oppre-  
rat. Ad quod  
repondetur.*

ipse dudum expetierat; armis suis constringant. vid. scripta  
publica hanc in rem edita in *Electis Iuris publ. curiosis T-*  
*XIV. p. 912. seqq. Lit. E.*

## §. XXXVI.

*Bellum ex foed-  
dere, confe-  
ndo, possunt  
foederati  
subiectus.  
pacis condi-  
tiones ad tu-  
endam Gen-  
erum aequa-  
litatem diri-  
gere.*

Bellis igitur ex foedere iuste suscepitis, illud porro con-  
sequens est, posse foederatos quoque ipsum bellum, & subse-  
cutas pacis conditiones, pro communi omnium vtilitate, se-  
cundum regulas prudentiae dirigere, ac eo imprimis studium  
omne & operam conuertere, vt vires Statuum Europae,  
quantum fieri potest, aequabiles reddantur. In quo altera  
ratio aequilibrii Europae posita est. Quando enim bello  
sunt superiores Foederati, possunt sane in praepotentem &  
ambitiosum hostem extrema quaque intentare: quidni  
possent, quod minus est, & ex terris hosti, iure belli erexit,  
aliquam particulam iis attribuere, qui ex sociis minus poten-  
tes fuerint iudicati, quo maiore pondere apposito, hi quoque  
Lancem Politicam aduersus suos vicinos & aemulos aequare  
possint. Vbi id non est in quaestione, an sola aequilibrii con-  
stituendi ratio iustum bellum faciat, quod supra negauimus.  
Sed supponimus potius bellum iam ex foedere iustum, & ae-  
quilibrii tuendi ac restituendi causam ad effectus belli referi-  
mus. Id certum est, si Statuum Europae, vires omni ex parte  
aequabiles essent, ipsa quoque bella, remotis iam metu & in-  
uidia, tum inaequalitate & nimia vnius potentia, ceu incita-  
mentis belli & perpetuo somite, rariora omnino esse futura.  
Quo spectat frequens illa Solonis vox, *aequalitatem nullum  
bellum suscitare*: quia perpetua litium mater inaequalitas est,  
& semina discordiarum late spargit. vid. FORSTNER Not.  
ad Tacit. P. 1. p. 145. seqq. Igitur, dummodo legitimis mediis  
eo contendant foederati, quis reprehenderet in iis, tam lau-  
dabile institutum, quod cura sui ipsius, ac propriae cuiusque  
necessitatis iura vniuersis inculcant. Nisi enim aequabilitatem  
illam

illam in Statibus Europae procurauerint, alterutrum horum euitare nulla ratione poterunt, vt vel vnus e minoribus post alterum a potentiore sub iugum mittatur, quo facto & reliquis, sibique ipsis proximum imminet exitum, vel vt, quoties minores Status bello a potentiore lacesuntur, iisdem subito succurrant, & sic ipsi perpetuis turbis implieentur. Quorum vtrumque cura sui ipsius modis omnibus a se amoliri iubet. Et ab hoc studio foederatis quoque arbitrium Europae speciatim attribuitur, iidemque Lancem Europae conseruare dicuntur; quin & ipsum foedus, securitatis publicae causa sancitum, a nonnullis Lanz Europae & Statera, splendido nomine, insigniri solet.

## §. XXXVII.

In reliquis imputationibus & iniquis obiectionibus, quibus foederatorum gloriam oppetitum eunt aduersarii nostri, ne inconsciente praeuiculari videar, quid proprie in quaestione sit, breuiter exponam, meamque sententiam paucis subjiciam. Scil. cum Potentissimus Daniae Rex Ducatum Siesuensem Iure belli iam occupasset, non ita pridem Galli & Angli, pro quiete & tranquillitate publica in Septentrione conseruanda, sponsionem Garantiae interposuerunt, Danum se in possessione harum ditionum defensuros ac confirmaturos esse, & quaeritur, an iuste hanc sponsionem facere potuerint? Quia in re quaeso non obiiciat mihi quisquam, sic alieno dispendio publicam utilitatem redimi, & sua cuique dominia interuerti: cum quod ciui eripere nefas est, adimere Regibus Principibusque non liceat; qua argumentatione a minori ad maius ali: as in consimili materia vtitur. VALENTINIAN. *Imp. in L. §. C. de diversis praed. urb. & ruris. Vna etenim iustitia est, vnu ius, vna aequitas, ac tantum vnicuique, seu priuato, seu Principi li-*

H 2

cet,

*Expenduntur reliqui foederatorum facta, & i) quaeritur an Galli & Angli iuste possuerint Garantiae sponsionem suscipere ratione Ducatus Slesvicensis.*

et, quantum leges & iustitia permittunt: & nec magis Principi alterius ditionem in aliū transferre licebit, quam ciui cuiquam fas erit, alienum patrimonium tertio cedere. Iam satendum & illud est, optimum aetatis nostrae Principem, magis alieno, quam proprio facto, opima ditione priuari. Verum tamen illud quoque scimus omnes, id nec processisse ab incongrua quadam liberalitate foederatorum. Prouincia illa, cuius tam aegra hodie ac difficultis suo Principi iactura est, non sane horum arbitrio, sed iure belli in victoris potestatem redacta, eademque non solum victoriae titulo, sed vterius quoque in vicem cessae a se Pomeraniae, adeoque loco aequivalentis, ut loquuntur, a viatore possidetur, qui nullis consiliis adduci potuit, ut eam pristino possessori restitueret, quin tandem ad suam securitatem, & cautionem de imposterum non laedendo, omnino sibi necessariam esse, multis argumentis demonstrat, tum maxime valutris, vbi potentissimum, ac vicinum victori regnum, successionis iure, ad viatum, vt spes erat, olim fuerit deuolutum: Tunc enim is suo viatore multo potentior futurus, tranquillitatem publicam in septentrione pro arbitrio turbare posset, si & integer ac indiulsus Ducatus eidem nunc redderetur. Dania sane, salua securitatis suae ratione, nunquam pari debet, ut in Germania, vel qua parte Germaniae Dani adiacent, Suedi numium potentes redditantur, ne ex ipsa quoque Germania, Daniam inuidant. Quod probe obseruarunt CHRISTIANVS IV. & V. Daniae Reges; Suecorum progressibus, instituto bello, remorani saepe iniicientes.

## §. XXXVIII.

*De endem.*

Interea, dum Danus ditione Slesvicensi potitur, foederatis, Gallis sc. & Anglis, triplex nunc via relicta fuit, capiendo consilii publici. Prima fuit, ut hanc contouerliam, velut ad curam suam neutiquam pertinentem, seponerent prorsus

prosperus & negligenter; Holstato interim nunc Suecos sollicitante, nunc ipsos suscitante Russos, & nihil inexpertum relinquente ut in spem recuperandi Ducatus sui nouum bellum confidare possit. Altera, vt, quia inter ancipitia ista diu subsisti posse non videbatur, foedus cum ipso Holstato inerent, eumque vi & armis aduersus Danum reficerent. Et tertia denique, vt pro praesente rerum statu, pacis tuendae causa, pacto cum Dano foedere, ratione Ducatus Slesuicensis *Garantiae fponsonem* susciperent. Prima anceps est & turbarum plena, nec publicae tranquillitatiprospicit, nec occasionses bellorum in futurum intercipit, occlusis interim & interceptis commerciis, quorum amissione tot populi, tot Ciuitates Imperii liberae fere ad desperationem rediguntur. Altera periculosisima, quippe quae exitiosum in Septentrione bellum, nondum plane extinctum, quin adhuc, sub cineribus gliscens, de novo erat excitatura, & dubium semper habitura finem, cum Danus non adeo eneruis sit. Tametsi igitur optimus aetatis suae Princeps hanc viam foederatis ineundam prae ceteris suadeat: ideo tamen ei assurgendum esse nemo putet; quia nec ex foedere, nec ex alio quoconque valido titulo hanc opem afoederatis poscit. Neque etiam ipsa lex naturalis, aut humanitatis iura id requirunt, vt propter utilitatem vnius, tametsi optimo iure suffultam, publica omnium tranquillitas in discriumen vocetur, quin potius communis salutis studio singulorum curam negligendam esse, ipsa lex & ratio iubet. Supereft igitur tertia expediti ratio, quam turbido hoc & ancipiti rerum statu, publicis virilitatibus conuenire prudenter iudicarunt Galli & Angli. Cum enim vnicum & praesentissimum remedium ex omnibus illis turbis emergendi, in sola pace consisteret, illi, omnia, quae huic accelerandae utilia essent, ten-

tant, & dum alia ratione iniri haud potuerat, ut demum in futurum belli occasionibus in septentrione finem imponerent, hanc tandem viam eligunt, pactoque cum Dano foedere, Garantiae sponsonem suscipiunt. In quo nihil omnino, quod contra Gentium iura sit, eos admisisse confidenter ausim affirmare: ideo, quia foedera ex utilitate pangere, cuique naturali Iure liberum est, et qui Garantiae sponsonem suscipiunt, non se iudices arbitrosae aliarum litionum constituant, eoque nec belli iura discutiunt, nec de iustitia causae cognoscunt, quod, ut demonstrauimus, Gentii in Gentem haud competit; sed publicae utilitatis rationes ineunt, & negotio, ut nunc est, accedunt. Qualequid constans Gentium usus per petuō confirmat. Ita enim quoque in Tractatu Hagensi die 22. Maii An. 1659. conculo iidem Galli & Angli afferunt, vbi, quod paci Rothschildensi sanciendas grauiter insudauerant, se, permotos esse testarunt, ut partium suarum esse censerent, omnem diligentiam omnemque operam bello recrudescenti amoliendo adhibere. Et additur paulo post, Sponsio Garantiae futurae, si pacem restaurari contigerit, de qua diximus.

## §. XXXIX.

(1) *An in suis posteris de aliorum successionibus ex utilitate disponatur?*

Alterum foederatorum factum in eo consistit: Cum Magnae Hertruria, ac Parmenis Ducatus, stirpe regnante iam prope deficiente, mox quoque vacare continent, foederati, ne imposterum per hanc successionem detrimenti quid caperent publicae res, de Ducatis illis ex publica utilitate transferendis disponunt. Et quaeritur iterum an iuste? Per rationes sane iuris Gentium ad prudentes potentesque Principes, ut supra quoque diximus, spectat, bellorum imminentium malis opportune prouidere: et haec quoque cura, ut ad mox defecturae familiac masculae, haereditatis ordinationem, quae alias solis

folis competitorum petitionibus reicta, difficilem fune-  
 stumque exitum habitura, ac pacem communem non si-  
 ne insigni Christiani crux profusione turbatura fuisse;  
 se extendat, nulli iuri contrarium esse potest, modo id  
 fiat mediis per se licitis, ad quae, quin & amicabilis com-  
 positio pertineat, a nemine, vt opinor, in dubium voca-  
 ri potest. Verum vt in prioribus quaestionibus statum  
 controveneriae, in odium foederatorum, maligne immu-  
 tatum esse, paulo ante obseruauimus; ita idem circa hanc  
 quaestionem maxime notandum. Non enim foederati de  
 alienis successionibus pro arbitrio disponunt, spredo pror-  
 fus iure singulorum: quin vt ex art. II. pacti foederalis §. 34.  
*buius Dissert. allegato*, quam luculentissime apparet, parti-  
 um iura in consilium adhibent: Vter vero potior sit, aut  
 eius iustior sit petitio, inter partes controvortentes non  
 decidunt, ne inter liberas Gentes, nulli mortalium subie-  
 ctas, iudicium sibi arrogare videantur. Igitur, euitata de-  
 cisione aut comparatione iutium utriusque partis, potius  
 prudenti temperamento, & amicabili via partes contro-  
 vertentes ita componunt, vt Caesar competitorum pri-  
 mus, cuius & iustissima videbatur postulatio, non iniur-  
 tus, sed sciens & consentiens, amore pacis & publicae tran-  
 quillitatis, de consilio foederatorum, non parum de iure  
 suo remittat consentiatque, Ducatus Hetruria & Parmen-  
 sem in casu deficientis lineae regnatrixis masculae, Imper-  
 io quidem, vt debebat, non aperiri, sed, salvo tamen  
 imperii iure Domini directi, suum fortiri successorem,  
 & quem quæso? ipsum Hispanum; postulantum alte-  
 rum, nec sane tam valido iure subnixum, qui tamen nunc  
 propriae utilitatis negligens, haec sibi tam favorabilia pa-  
 ce alto superciliosus contemnit. Quis igitur diceret foede-  
 ratos de alienis successionibus pro arbitrio statuere? Quis  
 non.

non admiraretur potius aequissimam eorundem inter partes controuerentes operam mediaticem, qua, prouida cura, bellum in futurum non ab Italia tantum, sed a tota Europa auertunt.

## §. XL.

*Conclusio.* Atque ita discussimus obiectiones omnes & iniquas imputationes, quae foederatis, circa sanctissimum hoc institutum, ut supra diximus, solent obtinueri. Non enim alienas prouincias, ceu victimas pacis cedunt, aut aliorum dispendio suam tranquillitatem redimunt: sed terras legitimo iure belli acquisitas, sponsione sua, ex publica utilitate interposita, tanta p[ro]p[ri]etate possessori suo confirmant. Non liberos populos, bello commissos, quamvis inuitos & reluctantes, pro imperio ad pacem ineundam cogunt: sed ipsi bello ex foedere impliciti, sibi suisque foederatis pacem constantem quaerunt, & ad accipiendas aequas conditio[n]es, communem hostem suum vi & armis constringunt. Non utilitaris causa iniqua bella suscipiunt: sed summum ius belli, aequitate & publica utilitate temperant, atque ita omnino versantur, ut dubites, maioren[e] prudentia, an aequitate & iustitia haec conflata Gentium societas videatur, quam vbiique ius, fas, aequitas, & vna lex potentissima, salus totius Europae & tranquillitas continet ac dirigit. Fxit DEVS, ut in tam sancto foedere, purissimisque institutis diu valide persistat, vbi vero, quod absit, discordia tetra vnum alterumque sociorum diuellat, nunquam deficiat nouis, qui restituat pondus, eo que Statera Europae in aequilibrio suo perpetuo conseruetur.

## SPHALMATA TYPOGRAPHICA EXTANTIORA.

P. 4. lin. 2. lege Thucydides pro *Thucydides*. p. 6. lin. 14. lege Tyrolis pro *Tyrolum*,  
p. 20. §. 11. lin. 7. lege regere pro *regerere*. p. 27. lin. 20. lege conciliatoriam pro  
*conciliatorum*. p. 3. §. lin. 16. lege Gallus pro *Gallius*, eadem pag. lin. 17. lege eunique  
pro *eunque*. p. 3. 7. lin. 2. lege foederali pro *foederati*.





X236-8103

**ULB Halle**  
006 398 723

3



1018



B.I.G.

Black



17  
1723,3 16  
*DISSERTATIO  
IVRIS GENTIVM ET PVBLICI  
DE  
TVENDO  
AEQVILIBRIO  
EVROPAE,*  
*QVAM  
SVB  
PRAESIDIO  
IO. FRIDERICI KAYSERI,  
I. V. D. ET P. P. ORDIN.  
IN  
ALMA LVDOVICIANA  
PVBLICO OPPONENTIVM EXAMINI  
SUBMITTIT  
EBERH. GEORG. VVITTICH,  
A. ET R.  
AD DIEM  
SEPTEMBR. clo locc XXIII.*



*GIESSAE, LITTERIS IOANNIS MÜLLERI.*

